

www.e-rara.ch

**Compendium Eruditionis, Complectens Historiam Sacram, Profanamque,
Politicen, Jurispublici Adumbrationem, Geographiam, Ritus Veterum Et
Chronologiam**

Desing, Anselm

Ingolstadii, Anno M D CC XXXIII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rn 291

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-71003>

Liber primus.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



LIBER PRIMUS
 HISTORIÆ
 PROFANÆ.

A Mundi Ortu ad Imperium Augusti Romanorum Monarchæ, circiter natum Salvatorem.

Quatuor hætenus extiterunt vasta Imperia atque summa, quæ Monarchiarum vocabulo vulgò dicuntur. Nabuchodonosori dormienti has Monarchias monstravit Deus in imagine Statuæ magnæ, cujus caput aurò constabat: pectus & brachia argentò; Venter & femora ære. Tibiæ ferrò, pedes extremi partim ferrò, partim lutò. Daniel dein à DEO submissus ænigma sic evoluit, dicens, quatuor monarchias hæc statuâ designari. prima harum (Assyria erat) aurea: altera (Persica) argentea: tertia (Græca) ærea: quarta (Romana) ferrea. Quæ ipsa ad extremum divisa, mixta, atque hinc infirmior futura esset; id quod nunc in Romano Imperio experimur, ut alibi dicemus.

CAPUT I.

*Prima Monarchia ASSYRIORUM ad
Cyrum, & Persicæ Monarchiæ incuna-
bula anno Mundi 3401. ante Chri-
stum 559.*

QUÆSTIO. I. Sæpè curiositate ductus nôsse
optavi, qui primus rex, aut quando fue-
rit? Tûne me hac ambiguitate expedies?

R. Præferam tibi facem. Aures præbe narranti.

1. Cùm *Adamus* ille Protoplastes terram coleret, ad
cataclysmum usque nemo Rex audiebat, nemo in
alios sibi arbitrium sumebat.

2. A Diluvio, *Cham* Noëmi Patriarchæ degener fi-
lius, quoddam habuerit contemptui parentem, id impre-
cationis sibi promeruit, ut *Servus* cum posteris suis
esset. Servire non posset, nisi esset, qui dominaretur.
Itaque vindictâ Numinis factum est, ut homo
libertati natus deinceps seu regibus seu tyrannis mo-
rem gereret, quia nolebat Parentes eò, quò oportebat,
cultu prosequi.

3. Cæpit enim alter alteri primum invidere, post
insidias frueri, denique alios suæ potestatis facere &
mandatis suis obnoxios. Inde cùm quis hominum
non spernendam manum suis velut sub signis numeraret,
crevit dominandi libido, ut etiam vicinos vellet
habere dicto audientes; nec vicinos modò sed longi-
giùs quoque remotos.

4. Quisquis ergo hoc pacto quasi frenum imposuisset
populis, *Rex* dicebatur, vario quidem no-
mine, pro cujusque idiomatis genio; sensu tamen
eodem,

eodem, hęc nempe ut Dominum eum omnes intelli-
gerent.

Q. II. Quis demum fuit ille, qui præ aliis
hanc sibi spartam sumsit?

R. Nemrodus is est Chami illius nepos. Quem con-
ceptis verbis sacrę literę docent Babel, seu Babylo-
nem urbem condidisse, ac potentię limites late pro-
tulisse. *Genesis Cap. 10.*

Q. III. Estne istud Imperium Assyriacum?

R. Non placet hoc rerum peritioribus, qui mille
amplius annis seriüs extitisse credunt illius regni exor-
dia, ac cum *Belo* cępisse.

Q. IV. Cur autem Assyrii dicti hi principes?

R. Autumo, hoc nominis haustum fuisse ab *Assure*
quem sacri libri nominant. Is Babylone valere iussa
Niniven urbem excitavit (*Genes. 10*) & Imperium istud,
quod Monarchiam Assyriam vulgò dicimus, auspica-
tus est.

Q. V. Paulo antè dicebas, Belum Monar-
chię parentem esse; nunc *Assurem* vis. Constant-
ne sibi ista?

R. Constant, ni fallor; nam *Bel*, *Beel*, seu *Baal* non
personę sed honoris est nomen; *Dominum* enim dicit,
ac posteris etiam *Deum*. *Assurem* igitur tantum regem,
quid aliud vocarent subditi, quàm Dominum, & ad-
ulatores quid aliud, quàm Deum, id est *Belum*?
Profectò multis post seculis *Bel*, & *Bal*, dictum est i-
lad numen seu idolum, quod divinis honoribus ma-
ctarunt plerique Asię populi, Assyrię nempe monar-
chię olim coloni?

Q. VI. Monarchię Assyrii qua serie jura po-
pulis dixerunt?

R. Longa eorum series fuit: quorum gesta oblite-
ravit ætas. Duos tantum in medium proferam, *Se-*

miramim feminam, & *Sardanapalum* feminâ nihil viriliorem,

I. *Semiramim* uxorem duxerat Ninus Assuris Beli filius. Hic mulieris captus blanditiis eidem flagitanti regni habenas in circumscripta potestate triduum permisit. Semiramis ergo sumtâ Nini personâ mandare, Semiramis vetare, illa vitæ, illa necis potestatem exercere, verbo dominari. Cernens verò, maritum istorum omnium esse patientem, aulâque omnem suis imperiis stantem, subit illam cogitatio de stabilendo sibi regno, nisi potius id consilium dudum antè agitavit. Tertiâ itaque luce satellites subornat, qui Ninum è medio tollerent. Quo perpetrato, rerum jam securo Imperium deinceps gessit animis feminâ majoribus. Illa Babylonem urbem *Hortis pensibilibus* exornavit, ac maximi operis murò circumscripsit. Alia non pauca de hac muliere fabulæ canunt.

2. *Sardanapalus*, qui profanis Scriptoribus *Tonoscoleros* appellatur. Huic mos erat publico abstinere semper: in Gynæceo verò delitescere, ac deliciis ad satiem indulgere, regni verò habenas permittere Satrapis. Id fortè fortunâ animadvertit *Arbacem* quendam Medorum Provinciæ præfectum, qui indignum ratus, tot populos à nutu pendere effeminati regis, conciliatis sibi Medorum animis atque armis, *Sardanapalo* in urbe Ninive imminet. Non potuit *Sardanapalus* armis evadere superior, quem belli vel nomen fortè latebat. Itaque ne vivus in potestatem hostium veniret, in rogam se cum *Gazis* conjicit. Anno mundi 3213, ante Christum 747.

Q VII. Quæ deinde post *Sardanapalum* Imperii facies?

R. Arbace fatis suis perfuncto in tria divisum est Imper-

Imperium. Primum *Medorum* fuit. Secundum *Assyriorum*. Tertium *Babyloniorum*.

Q. III. *Paucis expedi regnum Medorum?*

R. Regia fuit urbs Ecbátana. Ipsum imperium sorte varia antè usum denique Cyrus Persis vindicavit.

Q. IV. *Dic de Assyriis?*

R. Ex his regibus Sennacherib Solymam obsedit. Sed cùm Judæorum Numini malè diceret, eadem nocte centum & octoginta quinque millia de exercitu cæsa sunt ab Angelo. Ipsèque domum iniquò animo repetens à filiis suis est neci datus, quos idolis immolare ipse constituerat.

Regnum pòstea à Cyaxare Medorum, & Nabopolassarè Babyloniorum monarchis occupatum, atque inter utrumque divisum est.

Q. X. *Quibus rebus notandum est Babylonium regnum?*

R. Duabus præcipuè. 1. Nabuchodonosor Magnus (profani historici Nebucadnezar scribunt) sextus decimus illorum regum Judæis septuagenariam illam captivitatem imposuit, templumque Hierosolymorum toto orbe augustissimum solo æquavit. Danielem summo loco habuit. Animò verò factus elatior, & divinos spirans honores pœnas tales vero Numini dedit, ut ab humana forma desciscens, ac bovem indutus cum feris septenniò ipsò degeret; quo labente, sibi, pristinæque speciei, ac folio redditus est.

2. *Balthassar* seu *Belsazer* nepos prioris, cùm aliquando genialius victurus sacris illis vasis (quæ è templo Solymæo rapuerat avus) ad suam abuteretur cœnam, portentò mox percussus est: in aulæ enim pariete subita exstans manus hoc in ea triverbium exaravit: *Mane, Thecel, Phares*: quo ænigmate exitium ei ac regno portendi Daniel

niel interpretatus est. Nec diu fuit, cum à Cyro finis
 omni Assyriorum imp. rio datus est. *An. Mun. 3422.*
ante Christ. 538.

CAPUT II.

Altera Monarchia PERSARUM.

A Cyro an. mun. 3422. ante Christ. 538.
ad Darium ab Alexandro M. Arbelæ su-
peratum, an. mun. 3630. ant. Chr. 330.
atque adè usque ad Monarchiam
Græcorum.

*Q. I. Quis iste fuit Cyrus Persarum Imperii
 parens?*

R. Astyages Medorum regum postremus filiam su-
 am Mandanen Cambysi cuidam, nobili inter Persas
 locò, nuptum dederat. Hæc partum edidit mascu-
 lum, cui totius Asiæ dominatum augures divinârunt.
 Subiit Astyagem ejus rei invidia, metuentem suo sce-
 ptro: puerum ergo maturæ neci dedi jubet. At Harpa-
 gus, cui ea provincia mandata fuerat, pastori clam nu-
 triendum commisit. *Cyrum* hunc dixit pastorum postea
 turba; quem sacræ nostræ literæ *Corem* appellant.

*Q. II. Quò fatò ad regnum grassatus est pa-
 stor puer?*

R. Mirò: nam Medorum primùm, mox etiam
 Babyloniorum amplissima imperia suæ fecit potesta-
 tis. Puer adhuc pastores inter nihil humile & abjectum
 spiravit.

spiravit. Per jocum & pastoritium Insuum (ut amat id hominum genus) rex à sodalibus lectus, nudum nomen abhorruit, sed reapse inter suos pro rege se gessit, hunc plectens, alium expellens, suo demum arbitrio cuncta temperans. Insolens juvenis indoles innotuit Astyagi. Inquisitum est in natales, & reperti sunt regii, ex Mandane nempe illa. Astyages Cyrum quidem nepotem suum Cambyfi deinceps educandum tradit; Harpagum verò mensæ suæ aliquando adhibitum truculento facinore maectat. Carnes apponebantur, quas dum penitiùs arbitratur Harpagus, sui met filii eas esse agnoscit. Dissimulato tamen tantisper dolore abit, rectà ad Cyrum pergens, quem in Astyagem avum concitat. Is haut multùm cunctatus collecta Persarum manu eundem solido pellit. *An. Mun. 3401. ante Christ. 559.*

Q. III. Sed Babylonem quomodo subegit?

R. In eam cùm exercitum moveret, Gynden latè fufum amnem (alii Euphratem volunt) vadò superaturus regionum equorum unum alveò haustum amisit. Actus ergo in iram juravit, se eo redacturum illud flumen, ut calcari etiam à feminis posset. Nec mora, admotus operi ingens exercitus in 360. rivulos diduxit alveum. Babylonem deinde expugnavit, *qua capta cùm esset, ferunt, partem aliquam ejus civitatis tertia die nondum aliquid sensisse.* Aristotel. Lib. 3. Politicor. cap. 2. tanta erat unius urbis amplitudo.

Q. IV. Reliqua Cyri gesta evolve?

R. 1. Judæorum gentem à Nabuchodonosore olim solum vertere jussam ad patrios Lares redire permisit, mox ut Babylonem subegit. *An. Mun. 3422. ante Chr. 538.*

2. Cræsus erat opibus affluens Lydorum rex. Hic acerbè intuens vicinam Cyri potentiam arma in illum decernit: ne tamen temerè egisse videatur,

retur, oraculum consulit, à quo responsum fert in hæc verba:

*Cræsus Halym penetrans magnam pervertet
opum vim.*

Pervertit sanè, sed opes suas potius quàm Cyri. Superato enim Haly amne, qui limes erat Persici Imperii, exercitu, regno, libertate multatus est à Cyro, ac penè vitâ. Rogo jamjam impositus identidem succlamavit: *O Solon! Solon!* Percontatus rex de nomine, audit, Solonem Cræso olim extitisse morum magistrum, qui suis opibus nimium freto hoc præceptum dederat: *Ultima semper expectanda dies hominis, dictæque beatus ante obitum nemo supremæque funera debet.* Memor ergo hujus doctrinæ Cræsus, factum suum damnabat, miseram in rogo sottom lugebat. At Cyrus eandem sententiam & in se quadrare animadvertens, vitæ gratiam facit Cræso, non tamen coronæ.

3. Scythæ populi, seu Massagetæ Caspio mari, Pontoque Euxino adsiti, imperium, quod in illos etiam extendere Cyrus parabat, dedignati sunt. Tomyris enim Barbaræ gentis regina vafra ingenio mulier in angusta montium deducit Cyrum, sui que nimium securum castris ac vitâ exiit. Cujus resedum à cervice caput serobi caesorum cruore redundanti immerfit cum dicto: *sat jam tandem bibe sanguinis, quem tantopere sitiisti.* Millenorum millium exercitum in Barbaros eduxerat, utque ordine fieri omnia in tanto militum populo possent, singulis nomina ipse imposuerat Cyrus, nihilque hæsitans suo quemque vocare nove- rat. E quo summam viri memoriam ingentemque animum æstimare licet.

Q. V. Quid Cyri posterius memoratu dignum ediderunt?

1. Missis aliis tres tantum nominandi veniunt
1. Darius I. Hystaspis. 2. Xerxes I. 3. Darius Codomanus.

1. Da.

1. *Darius I.* Hystaspis filius nova ac ridicula quadam ratione rex salutatus est. Dissidentibus enim optimatum animis in id tandem conventum est, eum regno potiturum, cujus equus ab ortu solis primus hinnitum edidisset. Producti in campum Satraparum equi muti adstiterunt omnes, præter caballum Darii, quem astu quodam stabularius instruxerat.

Hippiam Pisistrati Tyranni filium urbe exe- rant Athenienses: Is vindictam coquens animo ad Persas transit, huncque Darium in exitium Græcorum excivit. Centies mille milites in Græciam effudit rex: quos Miltiades cum parva suorum (nonnisi duodecim millia numerati sunt) manu adortus in campo *Mara-tonio* turpi fugâ domum egit.

2. *Xerxes I. Magnus.* Patris dedecus ulturus millenorum millium aut eò majorem populum potius quàm exercitum adversus Græcos eduxit. Miro ausu Hellespontum immuni ponte jungere nisus erat; quem cum suborta procella nonnihil rupisset, actus in rabiem fabros omnes capite plesti, æquor ipsum mille plagis vapulare jussit. Non eodem successu juga montium superavit. Loca enim inaccessa (*Thermopylas* vocant) cum trecentis solùm occupans Leonidas Lacon Persarum 20000. delevit, cum antea suos his nonnisi verbis cohortatus fuisset: *Sic commilitones prandete (nam corpora curare eos ante pugnam jusserat) tanquam apud inferos cœnaturi*: Progressus inde Xerxes ad *Artemisum* montem triduanâ pugna à Themistocle Atheniensium stratego proffigatus est: maritimò etiam præliò ad *Salaminem* insulam ab eodem fufus.

Ad extremum ægrè in patriam redux nocte quadam merò & epulis gravis ab Artabano Satrapa confossus periit.

3. Cùm *Dario III.* demum *Codomanno* exequias passa est *Perfarum* potentia. *Philippus Macedo* reliquã *Græciã* in suam ditionem redactã gentis suæ injurias à *Persis* ultum ibat. Consilium interceptit *Pausanias* regem *Philippum* ex insidiis necans. Id tamen executus est *Alexander filius*, qui hanc sibi provinciam à patre relictã gavissus cum modica sed lectissima manu *Persas* variis præliis attrivit, ac ultimam demum manum imposuit in pugna illa ad *Arbelam* commissã, è qua se recipiens *Darius suorummet Ducum* perfidis jaculis cecidit. *An. Mun. 3030. ante Christum 330.*

CAPUT III.

Tertia Monarchia GRÆCORUM.

§. I.

*De rebus Græcis ante Monarchiam
constitutã.*

Q. I. Fuitne *Græcia* unum duntaxat regnum?

R. Minimè verd. Nam antiquissimis temporibus *Sicynoniorum*, inde *Argivorum* regna celebra fuere: denique *Mycenarum* regnum ex *argivis* subnatum est sub *Perseo*, quem fabulæ celebrant. Recentiore ævo plurimæ extiterunt *Respublicæ*, plurimæque *Græcorum* regna, *Corinthiorum*, *Thebanorum*, *Megarensium*, *Cretensium*: Sed hæc tanquam minorum gentium missa faciam: Dicam autem de *Atheniensibus*, *Spartanis*, ac *Macedonibus*.

I. *Athe*

I. Atheniense regnum, quod Atticum quoque antiquitùs dictum, à Cecrope 1. initium ducit, qui Mo-
 sis ævo vivens Areopagum condidit. Locus is est, in
 quem convenientes, qui magistratum summum gere-
 bant, jus dicebant, idque noctu, si res majoris momen-
 ti dæcernenda foret; ne personas nõssent litigantes,
 ducive affectu possent. 2. Dudum pòst *Theseus* extitit
 ab expeditione Argonautica notissimus: is ipse est,
 qui *Ostracismi* legem proposuisse dicitur, quâ in exi-
 lium honestum acti sunt Cives, qui præter communem
 sortem seu divitiis, seu populi favore, aliave reformi-
 dandi evassent; idque eò consiliò, ne potentiâ suâ
 abuterentur in patriam, eamque libertate multarent.
 Verùm hac lege omnium primus expulsus est ipse *The-
 seus*. 3. Ultimus illorum regum *Codrus* fuit, *An.
 Mun. 2866. ante Christ. 1114.* Hic difficili cum *Pelo-
 ponnensis* bello, cùm oraculò proditum fuisset, *Athe-
 nienses* superiores fore, si eorum regem *Peloponnēsi*
 interemissent, sæpè se hostium telis ultrò objecit. Sed
 ii, quos nempe non latebat oraculum, omni studio ab
 ejus cæde sibi cavebant. Demum *Codrus* mendicum
 indutus in hostium castra transiit, ibique ignotus truci-
 datus est. Deinceps Athenienses abdicato regio no-
 mine *Archontes* suos (Principes latinè dicas) repu-
 blicam curare jusserunt; qui decenniò primùm, de-
 mum in singulos annos Magistratum gessere. 5. Ex
 annis hisce Archontibus *Draco* leges Civitati scripsit,
 sed quarum severitatem mox corrigere debuit *Solon*
 antiquæ sapientiæ vir. 6. Ad senium tandem vergen-
 te republica Civilibus bellis, ut sit, cùm pessumire re-
 gna occipiunt, omnia mixta sunt; *Pisistratus* præser-
 tim tyrannidem arripuit, ejusque filius *Hippias* Persa-
 rum armâ in patriam excivit. 7. Cùm à Persis quies
 effet, centum ferè annis cum *Lacedæmoniis* vario
 Marte pugnatum est. Idque bellum dictum est *Pelo-
 ponnēsiacum*. Donec tandem Macedonum potestati
 tota Græcia cederet.

Q

H. La-

II. *Lacedæmonii, Lacones, five Spartani*, Atheniensium regnò non multùm recentiores originem Lacedæmoni primo suo regi debent. Sed usque ad Trojanum bellum non admodùm cogniti; quod bellum ipsorum causâ à tota Græcia susceptum est. Tindari enim filiam *Heleam* Menelai Laconum regis sponsam à Paride Trojano raptam repetebant. Fuit Troja regnum antiquum à Dardano conditum, à Troë & Ilo celebre redditum. Id temporis Priamus rerum potiebatur, cujus intemperans filius Alexander sive dictus etiam *Paris* Helenam rapuit. Emota probro Græcia decenniò ipsò Urbem premit, donec Antenor, & *Ænæ*, ut ferunt, prodicione capta in cineres abierit *An. Mun. 2778. ante Chr. 1182.* 2. *Lycurgus* Philosophus Leges Spartanorum condidit, quibus cum armorum, tum juventutis præcipuè curam haberi voluit, & pueros, qui à præceptore se castigatos quererentur, bis castigari, parentesque, qui id neglexissent, haberi infames præcepit. Accinctus deinde itineri, convocata civium concione petiit, uti sibi sacramentò sponderent, ab his legibus se non recessuros, donec reverteretur ipse, quo accepto jurejurando abiit: quem alii dicunt *Æthnæ* montis voragini se injecisse, alii alibi gentium diem suum obiisse, ac testamento cavisse, ut defuncti cadaveris cineres torrente mergerentur, ne quidquam Lycurgi Spartam redire posset, quod violandarum legum ansam præberet Civitati. 3. Romuli tempore regibus additi sunt *Ephori* 5. seu seniores è civibus, qui regum potestati frenum injicerent. 4. Diurnò bello cum Messeniis primum, inde cum Megarensibus, ac demum cum Atheniensibus collisi, Macedonum jugo subditi sunt.

III. *Macedones* primum regem ex Heraclidarum, seu Herculis posterorum gente nominant *Caranum* quemdam eo ferè tempore, quo Assyrium imperium

rium cum Sardanapalo extincto divisum est. Posteriores reges alienis bellis, negotiis, ac imperiis abstinentes vivere quidem sine magni nominis umbra, sed ob id ipsum quieti; nisi quod à vicinis Illyriis aliquoties armis tentarentur. 2. Philippus verò II. acer ingenii, manique promptissimus ceteras Græcorum Respublicas bellis civilibus per sese attritas felicibus aliquot præliis labefactavit, ac demum decretoriâ ad *Cheroneam* pugnam profigatas juris sui ex integro fecit. *An. Mund. 3622. ante Chr. 338.* Hac auctus victoriâ bellum in Persas decreverat: sed in nuptiis filię suæ à Pausania nobili Macedone pugione confossus est; Olympiade conjuge cædis, ut fertur, vel autore, vel consociâ,

§. II.

De Alexandro Magno.

Q. I. Quod fuit Alexandro genus, qui natus?

R. Olympias ei mater fuit, sed Philippum patrem nec ipse agnovit, affectans patrem Jovem: alii aliunde genitum asserunt. Natus est *Pella*: eademque nocte mirum illud Dianæ Ephesinæ delubrum arsit, ignem submittente quodam, cujus nomen perpetuo silentio premendum sanxerunt Græci: quod tamen scire multi historiographi volunt, & *Herostrati* esse.

Q. II. Quæ pueri Principis educatio?

R. 1. Aristotele magistro usus, homine ad miraculum callido & erudito, intimam exhaustit sapientiam.

2. Bucephalus equus tauri capite stabulabatur in hara Philippi, ferus aded, ut quemcunque fessorem dedignaretur. Ajunt etiam vaticiniò palam fuisse; eum, qui id animal subigeret, summa potestate gavisurum. Vel indole sua, vel vaticiniò allectus Alexander, utut dehortaretur eum cum aula sua Philippus, equum frenum omne respuentem conscendit tamen, unòque impetu abreptum, reducit mansuetum. Eo deinceps semper usus, occiso etiam monumentum condidit Urbem ejus nomine distam.

3. Corpore minimè procero, cervice in alterum humerum nonnihil reclinata, oculis erat discoloribus, fulvo alterò ac velut igneò, alterò subnigrò. Sudorem ejus ferunt rosam reddidisse odore.

4. Animis erat ingentibus, & gloriæ plus etiam, quàm decet, cupidus. Quoties enim nuncium ei ferebantur de patris Philippi victoriis, à lacrymis sibi temperare non potuit, questus, omnem sibi gloriæ campum à patre præripi.

Q. III. Nunc ejus gesta quàm potes paucissimis absolve.

R. Ingentia sunt: sed non est, quòd fidem adhibeas scriptorum nonnullis, qui antiquorum in hoc viro fabulas instaurarunt, ceteros tamen inter veracundius nonnihil ludit Curtius.

1. Thebas jugum excutere parantes solo æquavit. *An. Mun. 3624. ante Chr. 336.*

2. Scripto 30000. exercitu Asiæ fines ingressus Memnonem Darii Belliducem ad Granicum Bythinæ annem fudit. *An. M. 3626. ante Christ. 334.* Ipsum deinde Darium cum 500000. sibi occurrentem ad Issum urbem rejecit 130000. Persarum desideratis. Quò præliò capta est Darii Mater, Uxor Roxane, & filiulus. *ant. Chr. 333.*

3. *An.*


3. Anno M. 3628. ant. Chr. 332. in Syriam penetravit, Tyrum cepit jacto per mare aggere. Palæstinam deinde ac Jerosolymam cum exercitûs parte lustrans, Jaddum Pontificem obvium habuit, qui ostensô in Prophetis vaticiniô, Alexandrum Asiæ dominum fore, immunitatem Judæorum populo impetravit. Rex ipse sacerdotis pedibus affusus fassus est suis, sibi in Macedonia eadem, qua Pontifex apparebat, specie Deum per somnum oblatum esse, qui Asiæ Principatum sponndit. Sub hæc Ægyptum ac templum Jovis Hammonis adiit, atque urbem sui Nominis Alexandriam condidit.

4. An. mun. 3630. ante Chr. 330. cum Dario signa decretoria contulit Arbelæ Mediæ oppido. Darius victus paulò post à Besso proditoriè necatus est. Alexander Orienti totius Imperio potitus. Atque ab hoc tempore Græcorum Monarchiæ primordia capienda sunt.

5. Gloriâ, deliciis, opibus denique subactus ducum suorum fidissimos Parmenionem & Clitum è medio sustulit, Persarum ritus Macedonibus veteranis imperavit, denique fastu & ferociâ omnium sibi odia conscivit.

6. Ab Indis reversus Babylonem, bellum in Carthaginenses, qui Tyrii suppetias tulerant, & in Romanos parabat. Sed fato præveniente eadem in urbe extinctus est, vel ebrietate & crapulâ; vel toxicô, quod ei mistum ab Antipatro Duce olivæ suo, tum verò temporis Macedonia Præfecto, ajunt. Nec desunt, qui Olympiadem, atque Aristotelem hujus facinoris reos agant. An. Mun. 3636. ante

Christ. 324.



§. III.

*Ab Obitu Alexandri de rebus Macedonem,
Ægyptiorum, Asiaticorum &
Syrorum.*

*Q. I. Quem tantæ fortune successorum ha-
buit Alexander?*

R. Nullum. Erat equidem Alexandro filius sed spurius *Hercules*: erat spes legitimæ prolis ex Roxanæ conjugè, quæ uterum tum ferebat partui vicina, pauloque post enixa est posthumum *Alexandrum*: Sed erat etiam *Aridæus* Alexandri frater impos sui & mente vix non captus. Duces igitur Hercule & Alexandrò spretis rerum summam *Aridæo* deferunt, ipsi interea provincias administraturi: non aliò utique consiliò, quam ut sub bardo rege suam quisque rem ageret, ac sibi quas posset provincias subderet. Patuit id eventu: nam pro se quisque sollicitus vicinum venenis, infidiis, aperto denique Marte tollere annitentes eò rem deduxerunt, ut è Græca illa Monarchia quatuor regna prodierint. 1. *Macedonicum* 2. *Ægyptium*. 3. *Asiaticum*. 4. *Syriacum*.

Q. II. Macedones reges perseguere?

R. Non est tanti momenti, ut singulos perseguar: præcipuos dabo.

1. *Aridæum* Olympias mater enecavit; ipsa pariter à Cassandro antipatri filio sublata, cum omni Alexandri profapia. Nec id sua sine mercede fecit, corrosus demum à vermibus Cassander.

2. *Galli* deinde bis tève in Græciam effusi magna elade affecerunt Macedones.

3. *Philippus II.* ab Hannibale sollicitatus in Romanos infesta signa movit: sed belli tandem & cladium

dium festus pacem impetrat obside dato Demetrio filio.

4. *Persus* alter *Philippi* filius iterum favens *Carthaginiensibus* à *Paulo Æmilio* oppressus, captus, cumque binis filiis triumpho ductus est, & *Macedonia* *Romanorum* Provincia facta. *An. Mun.* 3792. ante *Christ.* 168.

Q. III. Nunc de Ægyptio regno tibi incumbit narratio.

R. 1. Ægyptiorum plurimæ antiquitatis regnum est, & *Abrahami* jam ævo percelebre. *Apim*, *Serapim*, seu *Osirim* primum nominant regem. Qui eum excepere *Pharaones* dicti sunt omnes, ut nostri nunc *Cæsares*: qui populum immensis & vestigalibus, & operibus exhaurerunt condendo præcipue *Pyramides*, tantæ molis, ut uni excitandæ trecenta & sexaginta hominum millia decem omnino annis insudârint. sub tempora *Sardanapali*. *An. Mun.* 3200. ante *Christ.* 760.

2. Deinceps à *Cambyse* *Persarum* monarcha subacti, & ab *Alexandro M.* in fidem recepti sunt.

3. Post *Alexandri* fata *Ptolomæus* quidam *Lagi* filius unus *Alexandri* Præfectorum diadema sibi imposuit. Nomenque *Ptolomæorum* in omnes posteros, ut olim *Pharaones*, transmisit. *An. mun.* 3637. ante *Christ.* 323.

4. *Ptolomæus II. Philadelphus.* *Alexandriæ* Bibliothecam condidit 700000. voluminum: sacras *Hebræorum* literas Græcè reddi per *LXX.* Interpretes curavit. *an. mun.* 3691. ante *Christ.* 269.

5. *Ptolomæus* *Dionysius* *Pompejum* à *Cæsare* victum ad se confugientem iussit necari. *Cæsar* persecutus fugientem *Alexandriam* delatus est. Ibi omnia pro arbitrio gerere volenti *Cæsari* arma minitantur proceres. *Suæ* itaque salutis consulturus, atque ut fugiendi sibi spatium faceret, palatio ignem subijcit, ut restinguendis flam-

flammis intenti cives à persequendo Cæsare abstinerentur. Sed, malum! eo incendio regia illa Philadelphi Bibliotheca in cineres abiit. *an. mun. 3913. ant. Christ. 47.*

6. Hujus Ptolomæi conjux *Cleopatra* leuissimæ quidem formæ, sed intemperantis animi & ambitionis femina regnum à Cæsare, amore ejus capto, precario recepit. M. Antonium Triumvirum Imperatorem eodem fascino seduxit: cujus in pelago piscantis hamo cum affos etiam aut tostos pisces per urinatores occultè fecisset alligari, aliisque modis ludibrio eum habuisset, Antonius tamen improbo mulieris amori Cæsaris Augusti amicitiam postponere nullus dubitavit, repudiata Octaviâ ejus sorore, quam paulò antè sibi desponderat. Quæ res utrique & Cleopatrx & Antonio exitium ultimum peperit. Asiaticâ enim maritimâ pugnâ inferior Antonius in Ægyptum se recepit, unâque cum amasiâ Cleopatra violentas sibimet manus intulit. Augustus verò Ægyptum Romanam Provinciam fecit. *an. mun. 3930. ante Christ. 30.*

Q. IV. Quodnam fuit Asiaticum regnum?

Æ. Illud occupavit Antigonus ex Alexandri Ducibus, Asiam minorem, Persiamque complexum. Cui successit Seleucus Nicanor, is qui Syriæ etiam imperavit. Quo defuncto in quatuor minora regna abiit hæc provincia, nempe

1. *Pergamenum*, cujus hæredem cum ingentibus divitiis Populum Romanum scripsit Attalus III. *an. mun. 3828. ant. Christ. 132.*

2. *Ponticum*. Hic sceptrâ rotabat *Mithridates VII*, Magni cognomine, qui imperium etiam in finitimos protulit, ac viginti duarum subditarum sibi gentium linguas ex affe calluit. Romani regnorum helluones etiam huic imminebant, jamque passim in Pontò nidulabantur: cum Mithridates non intemptivò minùs quam iniquò consiliò Romanorum omnium

omnium cædem totò suâ regnò eadem nocte pa-
trandam clam indicit. Cecidère his insidiis 80000. an.
mun. 3872. ant, Chri. 88. Missus in eum primò Sylla,
tum Lucullus, inde Pompejus ad eas incitas redege-
runt, ut venenum hauserit, quò nihil læsus, jugu-
lum servo præbuit an. mun. 3895. ant. Chri. 65. A
puero enim assueverat venenò medicatò vesci, atque
autor creditur antidoti istius; quod *Mithridaticum*
vel hodie dicunt,

3. *Armenum* circa fontes Euphratis. Cujus *Tigra-
nes* ultimus rex Mithridatis gener eadem cum illo sorte
à Romanis oppressus est. Attamen *Dejotaro* ejus fi-
lio Ciceronis amico, agente eodem Cicerone, re-
gnum vectigale permissum est à Senatu Populòque,

4. *Parthicum*, Primus ibi regnavit *Arsaces*; un-
de *Arsacidarum* nomen posteris hæsit. Ardua Ro-
manis cum hoc regno bella intercesserunt, *Marcus*
sanè *Crassus* Triumvir Imperator, vir tantarum opum
ut exercitum suo ære aleret, in Parthos profectus cum
100000, exercitu occisus est. Cujus amputato capiti
liquefscens candensque aurum infudère barbari, ut
satiaret tandem perpetuam aurifamem, amarò jocò
jubentes. Id ipsum est quod hodie in ancipiti versari
videmus potentissimum Persarum regnum,

Q. V. *Syrum regnum quale fuit?*

Æ. Huic initium fecit *Seleucus* Nicanor, seu
Nicator, id est victoriosus, anno ab obitu Alexandri
12. Ex ejus nepotibus *Antiochus* III. Magnus insti-
gante Hannibale in Romanos ivit cum splendido-
re quàm fortiore exercitu, pessimè ab iisdem
acceptus in campis Magnesiæ, quæ urbs est Lydiæ
Sypilo monti subjecta. 2. *Antiochus* IV. Epiphanes
cum Ægypto bellum inferret, à Romanis arma pone-
re jussus est. Tergiversantem ac tempus ducere
volentem *Popilius Romanorum* Legatus virgâ cir-

cum scripsit in fabulo, jubens eum in arena consilium aut pacis, aut belli capere. Elegit pacem. Judæos ac Macchabæorum præcipuè gentem dirè habuit, spoliatio templi, exustis sacris librâs. Sed pediculis tandem præda factus interiit. 3. Deinceps inter ipsosmet Seleucidâs irrestinis odiis ac bellis pugnatum est; tandèmq; Syri illorum pertæsi regnum detulere Tigrani Armeno, quem dixi. At Pompejus his omnibus superveniens Syriam, Palæstinam, omnèmq; Asiam Romani Imperij Provinciam fecit. an. mu. 3896. ante Ch. 64.

§. IV.

De Viris illustribus Græcorum, aliisque dignis notatu rebus.

Q. I. *Recense viros aliquot ab antiquitate Græca decantatos.*

R. Ævum illud, quoddà diluvio ad Olympicorum ludorum initia fluxit, fabulis scatuit. Idcirco viros tum temporis celebres laudabo in Mythologia potiùs, quàm hac in historia. Reliquorum verò nonnullos hic loci exhibebo.

I. *Reges & Belliduces.*

1. *Miltiades*, Archon seu Princeps Atheniensium, & in bello contra Persas ductor. *Vid. supra Cap. 2. Quest. 5. num. 1.*

2. *Leonidas* Lacon. R. ad Thermopylas pro patria strenuè occumbens. *Vide ibidem num. 2.*

3. *Themistocles* Atheniensium Dux. *Vid. ibidem.* Juvenis primùm erat vitæ non optimè compositæ, sed cùm Miltiadem à Persico bello inter civium suorum plausus revertentem vidisset, subitò cæpit languere, ac velut contabescere. Causam rogatus reposuit:

Mil-

Miltiade triumphos sibi somnum suffurari, Ab illo nempe tempore cæpit res magnas & egregias meditari.

4. *Cimon* filius *Miltiades* in Cives munificentissimus, Trecentas quinquaginta naves Persis eripuit.

5. *Péricles* Atheniensis. Primus fuit Oratorum: Idémque regnandi, bellandique peritissimus. Rogatus aliquando ut testem ageret non verum, respondit: *Amicus usque ad aras*. Dux fuit primo bello Peloponnesiaco. Sub an. mun. 3531. ante Christum 429.

6. *Alcibiades* Periclis cliens, filius *Cliniæ*. Profligatis moribus adolescentem hunc ambivit *Socrates* Philosophus, atque ad frugem reduxit. Inde vir & ingenii & animi acerrimus evasit. Summus Atheniensium contra Spartanos Imperator invidiâ tandem sibi conciliatâ solum vertere jussus est. Hinc ad Spartanos se contulit, contra Athenas tamen militare semper recusavit: servans fidem & amorem etiam in ingratos. Sciens, vulgus curiosum esse carpenti magnos viros, ut ipse hoc effugeret, canem magnô emit, eúmque abscisâ caudâ urbem oberrare permisit. Causam roganti respondit, id eò à se factum esse, ut populus hoc factum carpens, ocium non haberet alia ejus gesta arguendi. Sub an. mun. 3545. ante Christum 415.

7. *Epaminondas* Thebanus. De hoc ajunt, neminem unquam scivisse plura, neminem tamen parcius fuisse locutum. Thebanorum adversus Spartanos Dux creatus cum 6000. suorum viginti quinque Lacorum millia occidit pagnâ illâ famosâ *Leuctricâ*. Invidiâ tamen populi in ordinem redactus, & sordibus civitatis purgandis præfectus est. Quod ille munus tam dextrè gessit, ut deinceps honestissimi cives illud ambirent. Ita non magistratus virum, sed vir sæpè ornat magistratum. Iterum deinde castris

stris admotus teli ictu occubuit in pugna Mantineensi.
An. mun. 3602, ante Christ. 358.

8. *Pelopidas* Thebanus Epaminondæ in tenendo reipublicæ clavo socius. Obiit bienno ante illum.

9. *Dionysius Senior*, sive *Major* Rex electus à Sicilia, ut eò solertiùs eos à Carthaginensibus defenderet. Sapiens ac probus fuit rex. Verùm *Dionysius Junior* ejusdem filius Tyrannide impotenter abusus est. A Timoleone ergo Corinthiorum Duce exutus purpurâ, post Ludimagistrum egit Corinthi.

II. Philosophi.

1. Præ ceteris magni nominis fuerunt *septem Sapientes*, qui ferè sequentes extiterunt, eodémque ævò vixère sub annum mundi 3400. ante Christum 566.

Thales Mileto natus. Juvenis ephebos egressus noluit conjugii lege se obstringere; causam edidit, esse se nimis adhuc juvenem; Senior factus cum id ipsum recusaret, dixit, se jam esse nimis senem.

Pittacus Mitylenæus primùm castra secutus mox Musis operari cæpit.

Bias Priennensis. Hoste irruente cum alii facultates suas in tutiora loca conferrent, ipse omnium nudus exivit, inquiens; *omnia mea mecum porto*, animum nempe & sapientiam, quam nullus hostium rapere posset.

Solon Athenarum legislator. Cræso opibus suis elato autor fuit, ut fastum interim premeret, *Neminem enim ante mortem beatum putandum esse*.

Reliqui sunt *Cleobulus* Lindius; *Chilo* Lacedæmonius; *Myson* Chenensis Lacon. Cujus locò alii ponunt *Periandrum* Corinthiorum Tyrannum.

2. *Æsopus* Gente Phryx, conditione servus sub Cræso Lydorum rege. Apologis suis sapientia plenis notissimus. A Delphiis tandem discerptus fuit an. M. 3400.

3. *Pythagoras* è Samo insula. Ab Ægyptiis & Chaldæis Mathematicas disciplinas doctus est, Philosophiam verò reliquam à Brachmanibus Indorum Philosophis. Ante illum omnes, qui his rebus imbuti erant dicebantur *Sophi*, id est Sapientes: ipse vero maluit dici *Philosophus* seu amator sapientiæ; dictitans, solum Deum esse sapientem. Arithmetica, & ex ea Musica plus omnibus Philosophis coluit atque ornavit. In Italiam tandem venit Tarquiniò superbo, vel saltem Serviò Tullò Romæ regnante. Discipulis suis quinquennale indixit silentium; atque hoc tempore exacto tum primùm integrum iis erat verba facere, antè verò non nisi auscultandum erat. Hinc in proverbium cessit *Pythagorum silentium*, id est, diuturnum ac pertinax. Ceterùm tanta ejus fuit auctoritas, ut omnis disputatio, qua fortè inter se commissi sunt discipuli, subitò sopita fuerit, cùm quis asseveravit, Pythagoram ita docuisse; quod illi facere assolebant his verbis: *Ipse dixit*. Dogma ejusdem fuit quoddam atro carbone notandum de *Metempsychosi*, seu transmigracione animarum. Docuit enim, hominum defunctorum animas primùm quidem stygem subire, constituto verò tempore inde rursus emergere, atque in alia corpora migrare: has quidem, quæ prius strenuè vixissent, in heroas evadere; alias verò in boves, ursos, aliâque animalia abire. Obiit demum Metaponti in Græcia magna.

4. *Anaximander* Milesius. Primus observavit Zodiaci obliquitatem, & motum solis contrarium motui diurno.

5. *Xenophanes* patriâ Colophonius. In Homerum & Hesiodum scripsit, ridens ea, quæ de diis

diis finxerant. Ceterum lunam incolis refertam docuit. an. Mun. 3424. ante Christ. 536.

6. *Anaxagoras* Clazomenius cuidam succensenti sibi, cur patriæ tam esset negligens, respondit: ego verò patriæ sum studiosissimus; sed digitum unam in cælum intendit, monstrans, illic sibi patriam esse.

7. *Socrates* Atheniensis filius sculptoris, Philosophus; cum hætenus Philosophi naturalibus tantum rebus intenderent, quam disciplinam *Physicam* vocant, ipse maluit moribus erudiendis animum applicare, quam disciplinam *Ethicam* vocamus. Causæ locò addidit: *Quæ supra nos nihil ad nos.* Ceterum autem asseverabat, *Se nihil scire.* Gentilium deorum inanitatem in mediis Athenis ridere non dubitavit: cum enim alii jurarent per Jovem, ille maluit jurare per canem, & vocare quemcunque lapidem Jovem. Ut majorem dictis suis conciliaret vim, asseverabat, genium sibi quendam semper adesse, à cuius nutu ipse penderet. Unde posthæc creditum est quibusdam, dæmonem Socrati familiarem fuisse: sed alii etiam è Christianis Doctoribus Angelum fuisse affirmant. Hinc natum est velut adagium quoddam *de DEO, seu Genio Socratis.* Ejus monita tantâ pollebant simul energiâ, simulque gratiâ, ut in proverbium abierit *Socraticus Lepor.* Uxorem alebat pessimarum mulierum Alpha; Xantippæ nomen erat: Sed hujus ille linguam æquissimò animò tulit. Rogatus, cur mallet discipulorum gregem erudire in schola, quàm Reipublicæ munia capessere, respondit, se hoc modo reipublicæ commodis melius consulere, si multos ad eam administrandam aptos redderet docendò. Adolescentem sibi oblatum sic affatus est: Loquere, ut videam te; innuere volens, in hominibus non tam vultus esse spectandos, quàm animos: at animum melius ex sermone, quàm è fronte leges. Natu verò

iana

jam grandior didicit fidibus canere, nihil moratus aliorum sannas: quin aiebat, non in turpibus rebus numerandum esse *discere*, sed *nescire*. Is ipse autor est adagii: *Dimidium facti, qui bene capit, habet*. Aliàs interrogatus, quo pacto posset quis egregiam sibi conciliare famam? respondit, *si talis esse studeas, qualis haberi vis*. Maledictis ac convitiis petitus nunquam indignatus est, sed maximo sibi solatio cedere affirmavit, quod ea, quæ in ipsum dicta erant, vera non essent. Denique Philosophicâ docendi, arguendique libertate magnatum in se iram concitavit, qui subornatis duobus accusatoribus necem ei decreverunt, populo suffragante. Cùmque nonnemo eidem dixisset: Athenienses te morte damnârunt; ipse reddidit: & illos natura; nempe damnavit: intelligens, ipsis etiam iudicibus moriendum esse; parùmque interesse citiùs paulò, an seriùs moriamur. Xantippe quoque viri fatum tandem miserata inquestus soluta est, ejulans: Innocens moreris ò vir! Quam ille iustam tacere vicissim interrogavit, num tandem mallet. se nocentem mori. Demum haustâ cicutâ diem obiit. A cujus morte populum tanta subiit pœnitentia, ut accusatorum alterum in frustra discerpsit, alterum nihilo mitiùs habiturus, nî fugâ sibi consulisset. Socrati verò statua in foro decreta est. Atque hæc plusculis verbis narrare placuit de Philosopho omnium reliquorum celeberrimo, atque, nî fallor, optimo.

8. Plato Atheniensis genus à Codro & Solone ducens. In cunis jacentis atque obdormiscentis labris examen apum insedit. Dicitur erat à parentibus Aristocles; Deinceps verò nomen *Platonis* cepit ob *latitudinem* pectoris, totiùsque corporis insignem speciem. Socratis primò discipulus fuit; quo extincto, multas regiones lustravit discendi causâ, alâsque inter *Ægyptum*, ubi sacras Hebræorum literas

literas legisse creditur. Eloquentiâ fuit tantâ, ut passim dicatur; *Jovem si vellet Græcè loqui, non aliâ nisi Platonis linguâ locuturum esse.* In Philosophia Dialecticæ artem invenit, & quæ dicunt, *Universalia.* Fuit in rebus Politicis Princeps. Sed implexa tum temporis Atheniensis Reipublicæ negocia non permittebant virum rotundè, quæ sentiebat edicere; idè scripsit pleraque textè. Cùm de Deo, deque animæ immortalitate tam egregiè sentiret, dictus est Plato *Divinus.* Ejus summa fuit non apud Gentiles tantùm, sed & sanctos Ecclesiæ Patres, autoritas: & Cicero affirmare non dubitavit, *se malle cum Platone errare, quàm cum ceteris Philosophis verâ sentire.* Ceterùm ipse vitam degit conjugalis thori nesciam. Scholam aperuit in *Academia* loco prope Athenas insalubri. Hujus foribus inscribi voluit: *Nemo huc ingrediatur Geometriæ expers.* Obiit in convivio eodem, quo natus erat, die, cui Aristoteles discipulus aram posuit, multi verò alii statuâs.

9. *Aristoteles* Stagiræ Macedoniæ urbe natus filius Nicomachi Medici. Corpore exilis, atque, ut ferunt, Gibber: blæsâ linguâ literam caninam efferre non poterat. Viginti annos Platonis scholam frequentans summo apud illum in pretio fuit, ita ut tæderet Platonem disputare, absente fortè Aristotele. Ingenii acuminè tanto fuit, ut rerum omnium arcana penetrâsse visus sit. Nec dubitavit Magistri Platonis notare errores atque corrigere. Itaque magnum sibi nomen peperit, ut à Philippo Macedonum rege Alexandrum filium instituendum acciperet: Quem sanè decenniò totius orbis imperii reddidit capacem. Athenas reversus cæpit in *Lyceò* (schola erat in suburbanis Athenarum) docere: quod cum ambulans semper facere consuevisset, ejus discipuli dicti sunt *Peripatetici*, velut ambulatores. Eloquentiâ Platone nihilo inferior extitit. De DEO tamen non ita palam
elo-

elocutus est, deque animæ immortalitate parum feliciter docuit. Præterea vir ille ingenio vafer & callidus, ac reprehendi maximè timens permulta in suis libris ita scripsit, ut in utram vellet partem interpretari ea facile posset, si eorum fortè rationem reddere cogeretur. Nihilominus accusatus apud Athenienses, quòd de diis minùs rectè sentiret, in Chalcidem recedere coactus fuit. Sunt qui afferant, eum Alexandro magno venenum miscuisse, quo periit ille. Hæ res omnes ingentem illi conciliârunt invidiam: ac præcipuè antiqui Ecclesiæ Patres, ejus doctrinam tanquam nudæ naturæ nimis innixam & argutam averfati sunt, ipsique summi Ecclesiæ Pastores damnârunt. *Vide Historia sac. l. 2. c. 5. §. 4. Qu. 3.* Ejus certè libri multoties penè omnes interierunt; ac Cæsar Caracalla Alexandri M. admirator Peripateticos, aliunde paucò numerò degentes, scholis extorres fecit. Librosque Aristotelis omnes delere decrevit. At nunc Ecclesia Aristotelis doctrinam velut ceteris omnibus meliorem agnoscit; quantum quidem ad naturam spectant. Ajunt alii Aristotelem, cùm Euripi Chalcedici seu Euboici cauffas scrutando par non esset, in mare sese præcipitem egisse, cum dicto: *Eus entium miserere mei.* Sed multò est veritati conformius, quòd tædiò potiùs contabuerit. Certè etiam testamentum ejus legitur, quo idolis poni statuas ac thus adoleri præcepit. Ut adèò mortuus sit quidem suo in lectulo, sed idololatra, nec tantarum rerum cognitio ad salutem & beatitudinem illi profuerit quidquam.

10. *Diogenes* Sinopenfis Paphlago, singulari quadam vivendi methodo uti cœpit Athenis, ita ut neminem vereretur, sed palam quævis aliàs etiam pudenda ageret: dictus propterea *Cynicus* seu *Caninus*, quòd canum more impudens videretur. Non tamen

omisit virtutibus quibusdam studere, aut virtutum
 saltem umbris: idque vitæ genus multi deinceps am-
 plexi sunt *Cynicorum Philosophorum* nomine. Doliô,
 enim pro domo usus est, nec quidquam supellectilis
 admisit præter poculum ligneum & cochlear. Visô
 autem mendicô, qui laticem è fonte nonnisi volâ hau-
 riebat, abjecit etiam poculum velut abundans. Nec
 cochleare retinuit, cum cerneret puerum offam cru-
 stâ panis excavatâ excipere. Sub ipsam aliquando
 meridiem prætentâ lucernâ in forum contendit:
 causamque sciscitantibus aliis, cæpit clamare: *Homi-
 nes quero*. Multis ergo certatim affluentibus indi-
 gnatus baculô eos abegit, non homines sed mala bruta
 illos vocans ob vitæ inertiam ac vitia. Notabat stul-
 titiam luxûs, quodque homines magnô emerent res
 ad vitam minimè necessarias, necessarias verò vili: ac
 mirabatur gemmam tribus millibus vænire, libum
 verò panis nonnisi duobus æreis. Cranéum lucus
 erat prope Corinthum, quò cum Alexander perve-
 nisset, etiam Diogenem ibi cum dolio suo degentem
 visere constituit: multisque habitis sermonibus iussit
 illum petere gratiam quamdam regiam: rogavit ergo
 Diogenes, ut paulùm declinaret Alexander, ne solis
 radios ipsi interciperet. Mirantibus amicis Alexan-
 dri patientiam, ille miratus est Diogenis animi liberta-
 tem, dicens: *Vellem esse Diogenes, nî essem Alexander*.
 Quidam mentiuntur, Platonem ita descripsisse (*desi-
 nisse*, dicunt Philosophi) hominem, quòd sit *animal
 implume, bipes*: itaque Diogenem Gallum depluma-
 tum in scholam coniecisse cum dicto; *ecce hominem
 Platonicum*. Interrogatus, cur homines mendicis
 libenter darent, Philosophis non item? Quoniam, in-
 quit, sperant se citiùs claudos vel mendicos fore, quàm
 Philosophos. Amicos de ejus sepultura sollicitos
 iussit, cadaver inhumatum projicere. At, aiebant,
 feræ te comedent! Non, reposuit ille, sed baculum
 juxta

juxta me ponite, quo illas abigam. Quibus ridentibus, ac quòd nihil sensurus esset dicentibus, tandem inquit: si nihil sentio, quæ mihi de cadavere debet esse cura?

11. *Epicurus Samius.* Docuit, voluptatem summum esse hominis bonum. Id cum ejus sequaces abuterentur ad omne genus luxuriæ atque deliciarum, vulgò cæpit malè audire Epicurus quasi autor hujus vitæ. Verùm ille non corporis sed animi se ipso contenti voluptatem putavit exoptandam. Ejus multa egregia dicta factaque laudat Seneca. Idomeneo scripsit: *Si vis Pythoclea divitem facere, non pecunie adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum est.* Aliàs: *si ad naturam vives, nunquam eris pauper; si ad opinionem, nunquam dives.* Ad Polyænum scribens gloriatur, *se non nisi dimidio esse pasci, seu prandere: quod certè luxum non sapit. Quin testatus est, sapientem, si in Phalaridis tauro peruratur, exclamaturum: Dulce est, & ad me nil pertinet.*

12. *Phocion Atheniensis,* nunquam visus ridere, nunquam flere. Manus semper veste tectas pudicè custodiebat. Verborum parcus forum aliquando obambulabat meditabundus: sciscitanti, quid ageret, respondit: accuratè se expendere, num posset aliquid verborum decerpere ex eo sermone, quem postridie ad Athenienses esset habiturus. Alexandro suasit, si quietem amaret, missione militibus data maneret domi; si verò gloriam, ne in Græcos moveret, tanquam bellandi peritissimos, & gentem tam en modicam ac pauperem; sed in Persas. Quod ille consilium secutus est. Vulgò hominum displicere semper quæsit potius, quàm placere: cùmque aliquando peroranti applauderent turbæ, conversus ille ad amicos, quæsit, num fortè

sibi excidisset quidpiam mali: putabat enim populo suam orationem non placituram fuisse, nisi imprudens aliquid eidem inesset. Damnatus denique à populo cicutam haufit, cujus pretium carnifici numerari præcepit.

13. Duo denique veniunt Philosophi unà nominandi: Alter *Heraclitus* Ephesius, quoties domò egrediebatur, flebat, considerans omnia humana non nisi miseras esse. Alter *Democritus* Abderites risit, res humanas stultitias atque ineptias arbitratus. Ceterùm vixit post Xerxem I. Ingentes à patre acceptas divitias Philosophiæ causà reliquit; & ad extremum oculis etiam sese orbavit ipse, quò liceret quietiùs contemplari. Is potissimus autor est Physices illius, quæ omnia *Atomis* constare suadet. Addendus est his quidam tertius *Timon* Atheniensis, qui omnes mortales summò odiò prosequabatur. Aliquando conscenso suggestu populo denunciavit, sibi ædiculam structuro excindendam esse in area sua ficum, è qua multi jam civium suspensio periiissent; ideòque mōnere se, ut qui id facere cuperent, maturè hac ficu uterentur. Epitaphium tale sibimet posuit: *Hic sum post vitam miseramque, inopemque sepultus. Nomen ne quæras. Dii, lector, te malè perdant!*

III. Mathematici, Medici.

1. *Eudoxus* Cnidius à Platone ob paupertatem non admissus, brevissimò spatio tantum alibi profecit, ut Platoni sit oppositus. Primus apud Græcos annum ad lunæ cursum ordinavit.

2. *Euclides* Philosophus Platonicus: scripsit *Elementa* illa, *Euclidis* dicta, Mathematicorum velut sacras literas.

3. *Archimedes* Syracusanus divinò vir ingenio. Sphæram struxit vitream, in qua sidera velut

velut in cælo volvebantur. Tres ipsos annos Syracusas contra Romanos oppugnatores suis machinâ defendit. Modò enim speculis causticis per mœnia dispositis collectos solis radios in Romanorum classem ac munimenta contorsit, eaque exussit: modò projectis harpagonibus manibusque ferreis totas naves ex æquore extractas supra mœnia sustulit, iterumque deturbatas evertit: aliâque mira fecit. Tandem coronâ capta est civitas. At licet Marcellus Rom. Dux præcepisset Archimedes servari sibi incolumem, necatus tamen est errore militis, qui cum Archimedi figuras in sabulo delineanti superveniens eum rogaret de nomine, nec responsum acciperet ab homine rebus suis intento, latus ejus spiculò hausit.

4. *Hippocrates*, è Coö insula tempore belli Peloponnesiaci. Medicorum Princeps.

5. *Menecrates* Philippi Maced. medicus. Cum elatus superbiâ Jovi se parem faceret, Rex hominem castigaturus jussit eum accenso thure honorari, sed cibo quocunque alio, præter fumum, abstinere.

IV. Historici.

1. *Herodotus* Halicarnassæus. Dictus à Cicerone *Pater Historiarum*.

2. *Thucydides* Atheniensis è Miltiadæ genere. Belli Peloponnesiaci & Dux fuit, & scriptor eximius: cujus libros oclies suamet manu descripsit Demosthenes.

3. *Xenophon* Atheniensis Gryllo patre natus: facundissimus, purissimusque historiarum scriptor, Cyri junioris castra secutus militiæ etiam laude præstabat. Scripsit quoque de œconomia librâ.

V. Oratores.

1. *Isócrates* Atheniensis Platoni cœvus. Philosophus & Orator.

2. *Demosthenes* Atheniensis Isocra-
tis discipulus. A natura ad Oratoriam minimè factus erat: cum enim primò ad populum dixit, omnium cachinnis exceptus est. Etenim non solum Literam, R, sed & alias pronunciare nequibat; & arctum trahebat brevemque spiritum. Itaque lapillis intra palatum sumtis literæ caninæ sonum addidit; & contento cursu altos montes ascendendo non nisi uno spiritûs ductu, effecit, ut spiritum prolixiorem traheret deinceps. Dein rasis sibi caput, ut vel invitus cogeretur publicò abstinere: & angusto se loco includens assidue peroravit, gestibusque aptè formandis studuit, adhibito ad hoc Satyrò Comicò, qui singula indecora corripere: quin & speculò positò, in quo seipsum contueretur. Pertinaci hoc studio Græcorum Oratorum omnium Princeps evasit. Cùm Philippus Macedo Græciæ libertati immineret, Demosthenes gravissimè in eum investus est pluribus orationibus. Atque id genus Orationes deinceps nomen *Philippicarum* retinuerunt. Cùm assiduo populum in Philippum & Alexandrum reges concitaret, & sinistro tamen eventu semper pugnaretur, condemnatus tandem à populo est. Itaque in templum confugit. Sed cùm nec ibi tuto illi esse liceret, venenum hausit, quod calamo semper clausum secum ferebat. Solebat Demosthenes Orationes suas nocturnis lucubrationibus elaborare, alii verò Oratores ex tempore dicebant: hinc Pythias ejus antagonista dicere consuevit, Demosthenis Orationes *Lucernam olere*. Cuidam percunctanti, quid esset in Oratore præcipuum? respondit: *Assio*. Rogante illo quid esset secundum? dixit: *Assio*. Tertio eodem in sistente, tertio *Assionem* dixit.

VI. Poëta.

1. *Homerus* Græcorum Poëtarum apex. In Lydia natus est: sed de ejus Patria septem urbes inter se certarunt. Summam apud omnes Græcos laudem adeptus est ob scripta Poëmata, *Iliadem* nempe & *Odyssæam*, quorum alterò bellum Trojanum, alterò Ulyssis navigationes cecinit. Cæcum fuisse tradunt nonnulli, sed falsò. Alexander ejus *Iliadem* secum semper circumtulit, ac noctu quoque eidem indormivit. Cùmque Achilles tumulum inviseret, felicem illum prædicavit, qui tantum nactus esset gestorum suorum præconem, Homerum nempe.

2. *Hesiodus*. Aseræ in Boeotia natus. Multas de diis eorùmque profapia fabulas commentus est.

3. *Sappho* Poëtria Carminis, quod Sapphicum dicimus, inventrix. Ereffi, urbe Lesbi Insulæ nata, Tarquinij Prisci ævo vixit.

4. *Pindarus* Thebanus. In cujus gratiam Spartani Thebis pepercerunt. Et Alexander Thebas evertens Pindari penates jussit esse salvos.

5. *Anacreon* autor carminis anacreontici.

6. *Euripides* Atheniensis Tragicorum celeberrimus. Discerptus est à canibus: ejusque ossa Pellam translata.

7. *Menander* Græcorum Comicoꝝ facile princeps.

VII. Pictores, Sculptores, &c.

1. *Phidias* Jovem Olympium sculpsit ex ebore inter orbis mira numeratum. Sed multò celebrior fuit ejusdem Minerva eburnea 26. cubitorum altitudine Athenis sculpta. Fertur promississe, Atlantem montem se viri specie donaturum, qui altera

altera manu urbem sustineret, alterâ emitteret fluvium.

2. *Zeuxis* Heracleotes tantam pingendo fecit pecuniam, ut ad extremum opera sua donaret, tanquam quæ pretiô nullô redimi possent.

3. *Parrhasius* Ephesius Zeuxidem æmulatus est. Aliquando sese provocantes, uterque quidpiam à sese pictum attulerunt. *Zeuxis* uvas tam affabrè & ad vivum exhibuit, ut aves fortè prætervolantes rostris eas peterent. *Parrhasius* non nisi linteum quoddam ostendebat: itaque *Zeuxis* victoriam spe devorans, & *Parrhasio* velut insultans, urget, ut remotô velô tandem etiam suum opus produceret; suspicans latere id sub linteo. Verùm *Parrhasius* ostendit, linteum ipsum non esse nisi pictum. Tactus rubore *Zeuxis* *Parrhasio* porrexit herbam, tanquam qui hominem, & quidem artificem fefellisset, cùm ipse avibus tantùm imposuerit.

4. *Timanthes* & ipse *Zeuxidis* antagonistæ cùm *Iphigeniam* ad aras mactandam adumbraret, spectantes omnes mœstissimis vultibus pinxit: sed *Agamemnoni* virginis parenti velum objecit seu peplum, dicitans ejus tristitiam nulla arte posse exprimi.

5. *Apelles* Cous Pictorum omnium summus; à quo solo pingi se passus est *Alexander M.* *Antigonus* altero lumine captus pingi volebat accuratè, nec tamen vultu vitiato apparere. Id efficere cùm nullus pictorum sciret, primus excogitavit *Apelles*, non totum pingendo vultum, sed nasô porrectô tantùm dimidium. Id hodie frequens est.

6. *Protogenes* Canius. *Jalysi* imaginem septenniô totô elaboravit. Canis is erat anhelans, cui cùm vellet spumam ex ore manantem assingere, multo tempore incassum laboravit, tandem spongiam, qua colores frustratos sæpius absterferat tabulæ
impa-

impatienter impingens, deprehendit spongiæ attactu
quàm optimè expressam esse spumæ speciem: quam
deinde imitatus feliciter consummavit opus.

7. *Lysippus* Sicyonius sculptor, cui solilicebat Alex-
andrum in gemma effingere.

8. *Praxiteles* è Græcia magna oriundus Pompeii ma-
gni tempora attigit, Romana civitate donatus; scul-
ptoria arte, præsertim in marmore, nemini secundus.

CAPUT IV.

Historia Romana usque ad Augustum Imp.

* *Sex periodis absolvam Res Romanas. 1. Quid ante
Romulum acciderit? 2. A Romulo usque ad Reges exa-
ctos. 3. Ab his usque ad Bella Punica. 4. Bella Puni-
ca usque ad Carthæginis excidium. 5. Ab illo excidio ad
Augustum Imp. 6. Demum viros Romanorum hoc tem-
poris intervallo laudandos numerabo.*

§. I.

De Rebus Romanis ante Romulum.

*Q. I. Quinam populi Romanas illas plagas
incoluerunt?*

1. Fabulæ quidem ferunt, Janum primum à diluvio
huc migrâsse, indèque Saturnum; qui cùm è regno
Cretæ pulsus esset à filiis, Jove, Neptuno ac Plutone,
latibulum in Italia quæsit, unde ajunt illam regionem
dictam esse *Latium*.

2. Verùm si in re ancipiti licet aliquid conjecturâ affequiri, existimo primos è Sicilia huc delapsos esse *Siculos*; qui ipsi paulò post nescio qua de causâ, dicti sunt *Aborigines*.

3. His supervenère Græci Duce Oenotro filio Lycaonis Arcadiæ regis; unde Regio dicta est *Oenotria*. Visum aliquibus est, Oenotriam græca voce dictam esse à Vini copia: quorum sententiæ non subscribo, cum olim Italia vini pauperrima fuerit.

4. *Italus* quidam, nescio quis, hujus plagæ partem in potestatem redegerat, unde paulatim nomen toti genti hæsit, *Italorum*.

5. *Aufones* vel *Aufonii* gens erat à Latio versus mare Jonicum extensa, quæ cum olim ceteris præpolleret, *Aufoniorum* nomen dedit omni Italiæ.

6. Denique sub tempora Trojani excidii *Latinus* Rex Aboriginum *Æneam* à Troja huc profectum suscepit cum exulum haud parva manu. *Æneas* porro ductâ *Lavinia* Latini filiâ urbem tum à se conditam *Lavinium* dixit. *Latinus* verò à Turno Rutulorum rege occisus *Æneas* Latinorum rex est salutatus. *Ægrè* tulerunt hanc advenæ fortunam Etrusci. Igitur *Mezentius* illorum Rex in *Æneam* arma expedit. Cum ecce collatis signis subita è cælo procella aciebus incumbit, quæ *Æneam* fulminis ictu in flumen *Numicum* deturbat. Quibus rebus nihil moti Latini credi voluerunt, *Æneam* isthoc turbine in cælos raptum esse ac deorum choro adjunctum.

Q. II. Quæ deinceps fuit fors posterorum *Æneæ*, usque ad *Romulum*.

R. 1. *Ascanius* alio nomine etiam *Julus & Euryleo*, *Æneæ* filius, quem Troja incensâ cum *Anchise* patre (humeris exportatò) incolumem servârat, is *Albam longam* urbem condidit eo loco, quo *Æneas* in *Itali-*
liam

nam appulsus porcã invenit albam triginta procel-
los enixam.

2. Sed Lavinia Æneæ quondam uxor posthumum
p̄perit *Sylvium*, qui Ascaniô vitâ functô diademate
potitus posteris suis regibus nomen *Sylviorum* reliquit.

3. Ex his postremus erat *Numitor*, quem tamen
Amulius ejus frater regno exuit; filiãque ejus *Rhe-
am Sylviam* Vestalem fieri coëgit. Donec Romulus
ex Rhea natus Amulium interfecerit, regnũque Nu-
mitori avo restituerit.

§. II.

*De Rebus Romanis à Romulo usque ad Re-
ges expulsos.*

Q. I. Quid de Romulo memoratu dignum?

R. 1. Cũ Rhea Sylvia virgo Vestalis fuerit, cui
nuptiis omnibus interdictum est, non potuit ex ea na-
sci Romulus, nisi scœdissimô stuprô. Ut verò fucum
faceret sceleri, mentita est, DEUM Martem parentem
esse Gemellorum, quos erat enixa.

2. Hi gemini *Romulus* erant & *Remus*. Quos qui-
dem *Amulius* jussit Tyberî mergi. Verũ Numitore
agente clam educati sunt à pastore Faustulo. Alii
sunt, pueros in fiscella undis expositos, casu in
litus esse appulsos, atque ibidem à lupa esse lactatos,
donec superveniret pastor.

3. Hi primũ raptò vivere didicerunt. Demum
verò facta sibi prædonum manu *Albam* occuparunt,
*Amulio*que cæsô Numitorem regno restituerunt.

4. Obtentâ ab illo facultate novam condendi urbem, cæperunt *Romam* moliri illô ferè locò, quo in Tiberim fuerant præcipitati. Quamquam veteres Historiographi *Romam* dudum antè conditam fuisse scriptitent. Ceterùm contentione, ut sit, inter fratres orta alter alteri invidebat condendæ urbis honorem. Et *Remus* muris adhuc tenuibus illudens, eosque saltu superans mactatus est à *Romulo* joci hujus impatiente. Itaque novo regno litatum est parricidiò, novæque urbi suum parricida *Romulus* nomen imposuit.

5. Deficientibus verò incolis *Romulus* promulgavit, *Romam* omnibus advenis asylum fore. Advolavit illicò ingens prædonum, exulum, sceleratorumque vis.

6. Ac ne quidquam iniqui novo regno deesset, è *Sabinis* etiam virgines rapuit, prædonibus illis futuras uxores. Bellum hinc ortum ita compositum est, ut uterque populus in unum coalesceret.

7. Denique *Romulus* cum asperius uteretur imperiò, Senatus à se constituti invidiam sibi conscivit. Hic igitur orto aliquando turbine ac tempestate, occasione illa usus *Romulum* discerpfit; deinceps verò mentiti sunt, eum non secus atque *Æneam* à diis raptum esse; eumque postea *Quirinum* Deum dixerunt.

Q. II. *Nunc sequentes reges prode.*

1. *Numa Pompilius Sabinus* Jani templum condidit. Leges scripsit, ac plurimorum deorum superstitionem & sacrificia sanxit. Regnavit quietus annis 42.

2. *Tullus Hostilius*. Bellum cum *Albanis* sic sopitum est, ut è *Romanis* tres *Horatii* fratres, ex *Albanis* tres *Curatii* singulari pugna inter sese committerentur. *Horatius* unus superstes tres tamen *Curatios* dolò vicit: ut enim hostem distraheret, simulavit fugam, itaque singulos, imparibus intervalis ipsum

ipsum insequentes, stravit. Portam ingresso Soror obviaverat lugens Curiatii Sponsi sui divi necem, quam Horatius adactò ferrò è medio sustulit, tanquam quæ publici triumphì lætitiàm interciperet. At Tullus Albam nondum victas manus dantem solo æquavit.

3. *Ancus Martius*. Ostiam urbem excitavit.

4. *Tarquinius Priscus* Corintho oriundus, natus Tarquiniis. Vir bellò consiliòque summus. Etruscis domitis Curules sedes, Fasces, Trabeas, annulos, Prætextam, aliàque regum ac nobilium insignia atque ornamenta ab iis accepta in Romanos mores transtulit. Primus *Triumphò* urbem ingressus est. Capitoliì fundamenta jecit. Cloacas magnifico opere sumtùque regio struxit, & *Circum*.

5. *Servius Tullus* ex ancilla natus à Tarquinio fuerat adoptatus, ob spem de illo conceptam, quòd ejus aliquando dormientis tempora innocens quædam flamma ambire visa sit. Primus *Censum* civium instituit. Filiam suam Tulliam Tarquinio Superbo Prisci nepoti despondit cum spe regni. At ille moræ impatiens Servium in Curiam properantem è gradibus præcipitem agi jussit, atque à Senatu diadema extorsit. Hoc nuncio læta Tullia vehiculò in forum contendit: cùmque jumenta Servii cadaver humi stratum declinarent, illa obtortá rhedá coëgit mulos carpentum super Servii Patris artus raptare. Ex quo ille *vicus sceleratus* dictus est.

6. *Tarquinius Superbi* sibi nomen fastu ac immoderato imperio peperit. Filium suum Sextum jussit Gabios pergere Latii civitatem, ac velut transfugam mentiri: útque Gabiis fidem faceret, eum ipse flagris concidit, ut apud Gabios mentiri posset, se verberum causà è patris domo se proripuisse. Cùmque Sextus esset à Gabiis receptus, ac magno in numero habitus

habitus, misit Romam, patrem consulturus, quid jam fieri vellet? Ille nuncium in hortum deduxit, illóque inspectante cæpit summa papaverum capita, quæ ceteris eminebant, scipione suo demetere: hoc factó nullóque alió additó responsó nuncium dimisit. Sextus verò Patris consilium mox affectus principes Gahiorum viros è medio sustulit, quo patrato facile fuit populum in servitutem redigere. Cùm nova Capitoli fundamenta jaceret Tarquinius, Calva humani capitis in summo monte effossâ est; quo portendi credebatur, Romam ceterarum gentium Caput fore.

Junii patrem occiderat Tarquinius: itaque Junius, ne patris experiri fortunam & ipse cogereetur, finxit se mente captum, unde *Brutus* dictus est, & in domo regis morionem egit. Hunc rex cum duobus filiis Delphos misit cum muneribus, oraculum de successione regni consulturos. Brutus & ipse idolum sibi propitium redditurus copiosum aurum paravit: sed ut suspicioni locus non esset, infudit illud ignobili baculo, quem Apollini dicavit. Respondente dein oraculo: *Ille regnum obtinebit, qui primus vestrum, ó Juvenes, osculum matri tulerit*; rupta omni mora Tarquini filii domum remeare cæperunt: At Brutus astutior simulato casu pronus in terram effusus est, illique, tanquam mortalium omnium parenti, osculum clam fixit. Ac profectó evenit, ut Tarquiniis pulsus ipse rerum summam Romæ obtineret.

Q. Sed cur pulsi sunt reges?

æ. Ob Lucretiæ stuprum. Cùm enim in Castris, quibus Ardea Civitas vallabatur, orta esset inter Duces contentio de uxorum probitate, Tarquinius Collatinus *Lucretiæ* suæ primas deferre non dubitavit. Veritatem ergo exploraturi quidam, atque inter hos Sextus regis filius, Romam se conferunt. Ibi, com-
pertâ

perâ licet mulieris pudicitia, Sextus tamen amore ejus captus vim illi infert. Lucretia coram Senatu de injuria conquesta, cum nemo auderet ejus patrocinium contra regem suscipere, stricto pugione sibi met pectus rimatur. Eo facinore emotus populus regi in castris degenti exilium indixit, ac deinceps pro regibus minorem magistratum pati decrevit, summa potestate sibi met servatâ.

§. III.

Ab Exactis Regibus ad Bella usque Punica.

* *Turbulenta hac fuit Romana rei atas. Plebis seditiones causa fuere saepe mutandi magistratus: eosque singulos percensere longum foret. Bellis vero per Italiam grassati Romani, illam omnem suae adjecerunt ditioni usque ad Punicum bellum. Ceterum sequentia hoc §. notes velim. 1. Mutationem Regiminis post reges pulsos. 2. Bellum Etruscum cum Porfena. 3. Bellum Vejentum & Latinum; 4. Bellum Gallicum. 5. Bellum Samniticum. 6. Bellum Tarentinum & cum Pyrrho.*

Q. I. *Quis fuit regiminis modus regia potestate obolita?*

¶ Bini quotannis creabantur Consules. Primi fuere Junius ille Brutus, cujus antè meminimus, & Tarquinius Collatinus Lucretiae maritus. Brutus verò ambos filios suos, conjurationis cum Tarquinio pulso reos, capite plecti jussit in foro. Collatino quoque collegæ suo Consulare abdicavit imperium, duabus maximè de causis. 1. Quòd pro damnatis Bruti filiis intercessisset. 2. Quòd prænomen

Tar-

Tarquiniî tanquam Reipublicæ invidiosum gereret. Agrum Marti consecravit, qui *Campus Martius* postea dictus est.

Q. II. Qua caussa, quâque fortuna gestum est bellum Etruscum?

R. Tarquiniî civitatem vertere jussi suppetias vocârunt *Porsenam* Clusinarum in Etruria regem. Hic ingenti admoto exercitu urbem premit. Sed *Horatius Cocles* pro capite pontis stans, dimicansque omnes regis copias tamdiu sustinuit solus, donec pondè ipsum dejiceretur pons: quo facto in Tiberium se jecit, itaque armatus ad suos tranavit. *Mutius Scævola* in hostium castra solus penetravit, ac tentorium regis ingressus, ex ejus purpuratis quendam ferrô trajecit, existimans ipsummet esse regem. Expiando huic errori dexteram foco admovet, quousque solutis articulis diffuere; additis in regem minis; *Treentos nempe primæ nobilitatis parisque animi Romanos juvenes in Porsenam conspirasse.* Quo ille audito, obsidionem solvit, Romamque valere jussit.

Q. III. Quid bellô Vejentum & Latino accidit?

R. Totum in Romanos Latium sese armaverat, novam vicinamque potentiam crescere non ferens.

1. Sed cum Vejentibus Martem experiri sola *Fabiorum* gens Romanorum facile nobilissima decrevit. Itaque profecti trecenti sex Fabii secundis aliquot præliis potiti demum ex insidiis necati sunt; Uno solum, qui impubes domi hæserat, superstitè. Inde decenniò ipsò obsessa est Vejorum civitas, ac tum primùm cuniculi sub muros acti sunt. An. M. 3556. ante Ch. 404.

2. Antium erat maritima civitas: hæc cum sex navibus (is numerus illò ævò classem faciebat Italis) in Romanos movens, iisdem exuta est. *Rostra* navium in foro Romano fixa sunt, iisque impositi suggestus,

gestus, pro quibus Consules & oratores dicere mos erat.

3. L. Quinctius Cincinnatus Dictator contra Volcos & Æquos Latinos populos creatus à stiva ad castra perrexit. Eo bello celerrimè perfunctus, ut quiddam rusticum in ipsa acie imitaretur, hostes victos captosque iussit ignominiaè causâ jugum boum perrepere. Unde *sub jugum mittendi* & vox & mos nati sunt.

Q. IV. *Bellum Gallicum exequere.*

1. Galli Sepones Brenno duce in Etruriam effuti primò Fabium Consulem cum exercitu fuderunt ad Alliam fluvium.

2. Romam ipsam subeuntes, Senatores ibi in trabeis, curulibusque sellis positos conspiciunt. Ac primùm quidem fefellit eos species senum cultusque, ut penates deos esse crederent: sed errore intellecto ad unum omnes neci dedunt.

3. Manlius cum exigua juventutis manu Capitolium arcem tenebat. Barbarique jam Tarpejam rupem noctu conscenderant, cum anserum strepitu proditi sunt, Manliusque cum suis somnò liberatus. Inde honos publicus anseribus habitus Romæ; cum eorum unus leuicâ quotannis circumferretur, cane interim variis injuriis mactato.

4. Denique Galli solutionem obsidii aurò pepigère. Sed en! cum jam libræ appenderetur æs, & Brennus ensẽ suum bilanci adjiceret, tanti ponderis aurum insuper exigens, præter omnium spem *Camillus* adest suppetias ferens urbi, maximâque clade delet Gallos. Hinc eidem secundus post Romulum honor habitus est.

Q. V. Bellum Samniticum qualenam fuit?

R. Sexies instauratum intra annos 50. & viginti quatuor de Samnitibus acti sunt triumphi. Ingenti tamen probro cessit Romanis clades illa ad Furcas Caudinas accepta. Pontius enim Samnitium Dux utrumque Consullem Veturium, & Posthumium in illo saltu tenebat circumventum. Ac licet Herennius pater ab eo consultus prudenter suavisset, ut Romanos omnes aut dimitteret aut occideret, Pontius tamen gloriæ avidior maluit omnes exutos armis sub jugum mittere. Qua ignominia excitati Quirites non antè posuerunt arma, quam Samniticum nomen omne deletum esset.

Q. VI. Supereff bellum Tarentinum & Pyrrhi.

R. 1. Causa armorum hæc fuit. Tarentini errore ducti classem Romanam eorum litora legentem nonnihil violaverant, credentes hostium eam esse. Advolant illicò Romæ Legati, querelis forum miscunt: Sed cum Posthumius imperitiùs Græcè loqueretur, ob id vitii risu exceptus est a turba. Grandem hanc, ut putabant contumeliam ferrò ultum ibant Romani: Legatis suis interdicentes, ne alia quam Latina lingua deinceps uterentur.

2. Tarentini in foedus invitârunt Pyrrhum Epiri regem genus paternum ab Achille, maternum ab Hercule ducentem. Is aliunde totius orbis Imperium meditatus, oraculum tamen de belli eventu consultuit; à quo id responsi tulit: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*; dæmone ambigua hac sententia ignorantiam suam occultante.

3. Itaque ingenti apparatu in Italiam transmissit, primòque præliò Romanos interneccione delevit ad

ad Sirim Campaniæ flu. & Heracleam urbem: quos etiam castris exiit. Causa cladis fuere elephantum & falcati currus, monstra Romanis ignota. Cùmque Pyrrhus campum lustrans animadverteret Romanos omnes adversis vulneribus cecidisse, & neque tum arma dimisisse, cùm occumberent, ait: Ego talibus viris brevi orbem terrarum subigere potuissem.

4. Jamque ad viceesimum ab urbe lapidem castra posuerat rex, cùm iteratis cladibus fractus in Siciliam primùm se recipere, mox etiam domum repetere coactus est. Ibi dum in Argos impressionem facit, ita regulæ à muliere faucibus vivere simul & militare desit, tota jam pene Græciâ & Macedoniâ subactâ.

§. IV.

De tribus Bellis Punicis.

Q. I. Dic ortum finemque primi belli.

§. 1. Prioribus bellis per annos 500. tractis Populus Romanus universam Italiam subegit. Tum eos incescit cupido latius victricia arma circumferendi. Sicilia præcipuè in votis erat Romanis. Sed eam tenuere Pœni seu Carthaginenses potentissimus tum temporis Populus, Africa, Hispaniæque ac maris Dominus. Itaque Romani occasionem invadendæ Siciliae manu sibi fecerunt. Messaniis enim seu Mamertinis Siculis de Pœnorum jugo querentibus faciles accommodarunt aures, atque comparatâ, sexaginta non amplius dierum spatio, classe navium centum & sexaginta, alto se commiserunt, specie quidem juvandi socios, re autem vera sollicitante præda.

2. Viso pluribus præliis Hierone Siciliae rege Pœnorum foederato, Pœnisque è Sicilia pulsis, in ipsam Africam translatum est bellum. M. Attilius

Regulus Consul terra marique ipsam Carthaginem obsidione urgebat. Sed Xanthippus Laconum Dux militiæ acerrimus res Punicas restituit, cæsisque Romanorum 30000. ipse Consul cum 15000. vivus in hostium potestatem venit. Eum Carthaginenses quintò post annò Romam miserunt, suafurum populo pacem, & captivorum utrinque commutationem: acceptò priùs jurejurando, rediturum se Carthaginem. Is Romam delatus utrumque distuasit. Dein religione jurisjurandi actus reversus est ad Pœnos; nihil motus lacrimis uxoris & filiorum. Illum Pœni recisîs palpebrîs inclusum dolio, clavîs introrsum fixîs horrido, vigiliis (cùm conivere non possêt) enecârunt.

3. Denique ad Ægates insulas disjecta iterum Punica classe pax composita est anno 23. belli.

Q. II. Alterum cum Pœnis bellum describe.

§. 1. Hannibal erat primò apud Carthaginenses locò natus, quem pater Hamilcar ante diem suum supremum aris admovit adhuc puerum, jurisque jurandi religione illum devinxit, ut Romanorum hostis perpetuus esset. Hic itaque Saguntum civitatem obsidione clausit, quæ sola ex Hispanicis Pœnorum jugum hæctenus effugerat. Saguntini implorant Romanam. Romani occasione læti Carthaginem legatos mittunt & ad Hannibalem, jubentes, desisteret urbem Romani populi sociam injuriâ afficere. Negant Carthaginenses, Saguntum unquam fuisse Romanis fœderatam; Hannibal verò, Saguntò deletâ, ingenti cum exercitu in Italiam movet, Pyrenæis alpi bus summo labore superatîs.

2. Mox quadruplici clade Romanorum res afflixit. 1. Prope Ticinum P. C. Scipionem. 2. Apud Trebiam amnem Sempronium Gracchum. 3. Ad lacum Thrasimenum Flaminiæ Consulæ.

4. Sub

4. Sub oppidum Cannas in Apulia, totius Romanæ juventutis ac nobilitatis florem delevit. Ex qua pugna tres annulorum aureorum modios Carthaginem misit, victoriæ testes.

3. Perierat Roma, si Hannibal persecutus victoriam suam urbi admovisset exercitum, sed ille delatus in Campaniam loci deliciis captus cæpit ociò biennium integrum terere.

4. Hannibali quidem post Thrasimeni cladem mens erat Romam petere. Sed Fabius Maximus antiquæ vir prudentiæ Romani exercitus imperator traxit bellum, omnemque configendi occasionem declinavit. Ita cunctando Romanis locum fecit resumendi cum viribus animos: Dicitur ipse *Cunctator*.

5. Interea temporis Asdrubal Hannibalis frater à duobus Scipionibus profligatur ad Metaurum Fluv. M. Claud. Marcellus Nolæ in Campania Hannibalem pellit ex acie: ac post in Siciliam trajiciens, trienniali licèt obsidiò, Syracusas cepit, Archimedis ingenio tandiu defensas.

6. Hoc spatio annorum Hannibal phalangem ad quartum usque ab Urbe lapidem produxit, Equitatum ipsas etiam portas tentare jussit. Verùm subito immanique nimbo ab ulteriore vi prohibitus viam relegit. Ac, mirum dictu! tantum populo Romano animi supererat, ut agri, quos Hannibalis castra occupaverant, jam antè venales civem Romæ emptorem eo ipso die invenerint, quo obsidebatur. *Hannibal ad portas* proverbium est, quod de præsentis periculo dicimus.

7. Publius Cornelius Scipio (qui vulgò Scipio Africanus major sive senior audit) in Hispaniam missus fuerat, ut eam reciperaret, amissam cum duobus illis Scipionibus à Pœnorum exercitu cæsis. Rebus ergo in Hispania compositis, Scipio Consulari auctus trabea in Africam transmittit, ipsumque Carthaginis jugulum petit. Mox tota belli alea in diversum cecidit.

dit, Afri enim cum Syphace Numidiæ rege secundo præliò victi à Scipione, Hannibali in mandatis dedere, Italiâ valere iussâ domesticæ incolumitatis curam ageret.

8. Interim dum Hannibal abitum flens parat, Carthago pacem cum Scipione composuit. Illo verò in Africam appulso accessere Pœnis animi, ut neglecto fœdere præciperent, Hannibalem acie experiri. Sed ille Marte inferior Carthaginensibus necessitatem imposuit iniquas à Romanis condiciones accipiendi. Nempe ut pensis ferè decem millibus talentorum, classèque omni, præter paucas naves, dimissa, nihil in Romani populi facios se aufuros promitterent.

* *Hic fuit famosissimi Belli Punici secundi eventus. Sed ejusdem appendices fuere bellum in Macedonas susceptum, & in Syros. Hannibal enim utrumque regem Philippum II. Macedonia, & Antiochum III. Syria sollicitaverat. Quibus de rebus repetere, quæ supra de Græcæ Monarchiæ reliquiis dicta sunt Cap. 3. §. 3. Hannibal denique omnibus frustra in Romanos tentatis ad Prusiam Bithyniæ regem se recepit. Inde repetitus ad deditionem à Romanis, ne id fieret, prævenit, haustò toxicò, quod præsentissimum sub annuli gemma gestare solitaverat. Libyissæ Bithyniæ urbe tumulo mandatus est cum Epitaphio: Hannibal hic situs est.*

Q. III. Tandem extremos Pœnorum conatus ediffere, seu tertium bellum.

1. Arma in Mansinissam Numidiæ regem, populo Romano amicitiae fœdere junctum expedierant Carthaginenses. Id supremum illis exitum peperit. Nam Consules cum exercitu profecti in Africam classem eorum portu eductam spectante tota civitate Vulcanano dederunt.

2. Deliberatum dein Romæ est, essetne Carthago bustò sepelienda? Publ. Cornel. Scipio

pio (Nepos erat Scipionis illius majoris, dictus ipse Africanus junior) suavit servari inimicam urbem, cujus à metu in officio & armis continerentur Romani, qui, si metu solutis degere liceret, ocio, deliciisque se dedituri essent, ceterisque, quæ hinc nascuntur, malis. At Cato ille Censorius summo secum in curiam malo punico, quæsitivè à Patribus: videreturne illud esse recens? Affirmantibus, ait ille: at heri primum è pomario Carthaginis lectum est. Quo verbò docere voluit, periculosam esse incolumitatem urbis inimicæ vicinæ aded, ut ab ea unius diei itinere tendi Romam possit. Pluribusque in eandem sententiam additis effecit, ut Carthagini excidium decerneretur.

3. Mancinus itaque consul id urbi nuncium fert. Cujus atrocitate adhi in rabiem Pœni, ultima tentare certi novam classem instruunt. Tantusque fuit populi furor, ut matronæ rescissos cervicibus crines in usum funium contulerint. Tectorum trabes detractæ domibus, navium servierunt structuræ. Quin deficiente ferro aurum argentumque in eosdem usus conflatum est. Cùmque Romanus portum obstruxisset, illi ex averfa urbis parte novum foderunt.

4. Ad extremum Scipionis adventu, desperatis rebus Byrsæ arcis, totique urbi ignem submittere incollæ, seque cum omnibus corrumpere maluerunt, quàm potestati Romanorum permittere. Amplissimæ urbis incendium vix septimo decimo die sopivit Romanus exercitus.

* *Atque hæc fuere ultima Carthaginis fata. Cujus casum duabus maximè causis Hannibal peperit. 1. Quod post trinam Romanorum cladem Urbem Romam non obruerit. 2. Quod Asdrubalem fratrem suppetias evocaverit ex Hispania per juga Pyrenæa, cum ipse interim in extremo Italiae ac maritimo angulo delitesceret: ut aded facile casus sit in itinere succenturiatus ille*

80000. exercitus: Qui si cum Hannibalis coptis potuisset conjungi, funus, credo, Roma fuisset. Sed ita nempe regnorum momenta librat rerum arbiter Deus.

§. V.

Ab Excidio Carthaginiæ ad Augustum Imper.

* *Eversa Carthagine accidit Romanis, quod Scipio ominatus fuerat, luxus nempe civium & magnatum, & ex luxu ambitus, ex ambitu intestina dissidia. Hoc demum modo Libera Respublica labem passa est, & ad unius tyrannidem rerum summa devoluta.*

Ceterum pluscula sunt per hanc Romanarum verum periodum notanda. 1. *Bella cum exteris.* 2. *Varie inter Cives ac Senatam similitates.* 3. *Triumviratus Marii, Cinna & Sylla.* 4. *Conjuratio Catilinae.* 5. *Triumviratus Crassi, Pompeii & Caesaris.* 6. *Bellum Civile inter Caesarem, & Pompejum.*

Q. I. *Paucis expedi, quid negotii Romanis intercesserit cum exteris?*

R. I. *Corinthus erat omnium Græciæ civitatum facile opulentissima. Hujus vir princeps Critolaus verbis iniquioribus exceperat Romanorum Legatos. Verum Romani injuriarum (deleta præsertim Carthagine) quam minimè patientes, non aliam civitati multam dixerunt, quam excidium. Itaque Peloponnesi decus Corinthus solo æquata est. Quantum auri argentique hic latuerit, inde conjicias licet, quod ex ejus incendio et Corinthium natum sit, in quod flammaram vis aurum, argentum, reliquumque vilioris notæ metallum coëgit.*

2. *Numantia* oppidum colli imminens sine turribus sine muris quatuor tantum millium præsidio tecta Romanos quadraginta millium exercitus ita fatigavit, ut funestis etiam cladibus afficeret, idque quatuordecim ipsis annis. Nec vinci poterat, nisi Duce Scipione. Hinc conversi in desperationem, ne in hostium venirent potestatem, sese, quotquot erant residui, unâ cum civitate cremârunt.

3. *Attalus Pergami* in Asia rex populum Romanum regni sui hæredem testamentò scripserat. Id iniquè ferens Aristonicus Attali ex fratre nepos majorum suorum ditones sibi assertum ibat. Verum oppressus à Perpenna, elisò jugulò in vinculis periit.

4. *Allobroges* Galli Transalpini, quos ætas nostra Sabaudos vocat, Elephantorum terrore atque ope subacti sunt ipso rege Bituito in triumphum ducto.

5. *Cimbri, Teutonésque* Germaniæ populi litus superante oceano sedibus suis cedere coacti, alias sibi quærunt in Gallia. Hinc junctis sibi in spem prædæ Tigurinis & Ambronibus Italiam petunt, nihil veriti Romanorum famam. Quin missis Romam legatis terras sibi amicè deposcunt, manuum suarum, armorumque officia vicissim spondentes. Passi repulsam ad arma convertuntur, nunc Silanum, nunc Manilium, nunc Cæpionem consules interrecone delent. Hinc Romam tendentes metu omnia concutiunt majore ac ipse Hannibal. Oppositus his C. Marius nec ipse tanto hosti superando fuisset. Sed Barbari inconsultò copias suas diviserant, ut facilius vincerentur. Athesim fluvium primò scutis suorumque vastitate membrorum inhibuerunt, mox jactis arborum saxorumque molibus velut ponte commissum transfilerunt: levi negotio Romam direpturi videbantur: nisi Veneta tellus ac deliciae eos tenuissent.

issent. Itaque duplici prælio eorum bis cententa milia ceciderunt.

6. Jugurtha avô Masinissâ natus cùm regnum Numidix præter Senatûs Populique Romani sententiam sibi vindicare allaboraret, à C. Mario captus, triumpho ductus, & in carceribus demum est suffocatus. Is Romanorum Ducum avaritiâ probè cognitâ, dicere amabat, *Romam venalem fore, si modò invenirent eumtorem.*

7. *Mithridatico* bello omnis Pontica ora, Armenia, Syria, aliâque quàm multa Romanorum accessere ditioni, Pompeij Magni potissimum felicitate. Sed tamen quadragesimum in annum Mithridates gravis Romanorum armis incubuit; præsertim altera vice, cùm Nicomedes Bithyniæ rex ditiones suas Pop. Romano legâsset. *Vide supra, Cap. 3. S. 3. Que. 4. n. 2.*

8. *Helvetii* agrorum suorum tædiò affecti, incensâ patriâ suâ ad unum omnes conabantur ad Santones Gallos commigrare, sumtis secum Boiis, qui jam tum superatò Rheno Noricum incolebant. Ac primò quidem per Allobroges Romanam provinciam iter adornantes prohibiti sunt à J. Cæsare. Hinc converso itinere per Sequanos atque Æduos, utriusque annuentibus, pergunt. Commodum id accidit Romanæ cupiditati, ac Cæsaris præsertim. Ut ut enim nec Sequani nec Ædui, nec Santones Romanorum imperio essent obnoxii, sed suo jure viverent omnes; Cæsar tamen occasione usus Helvetos, & cum his totam deinceps Galliam edomuit, in exterum hostem (Romanos nempe) qui sine causa eorum fines ingressus fuerat, meritissimò commotam. Sed cessit denique Gallorum fortitudo simul & causæ justitiæ Cæsaris cupidini, calliditati atque fortunæ. In Britanniam quidem etiam, Germaniamque impetum fecerat: sed nulla rememorabili edita viam in Galliam relegit. Decenniò tractum est id bellum.

* De Egypto, ceterisque Græcæ monarchiæ ruderebus olim jam verba fecimus Cap. 3. §. 3.

Q. II. Quæ hoc ævo fuere Urbis discordiæ.

1. Cùm Senatorii Ordinis viri divitiis, populi sanguine comparatis passim abuterentur, Tribuni plebis studiosissimus, & velut Tutelaris magistratus leges certas rogârunt, quibus cupiditati detractum volebant. Hos inter Tiberius Gracchus, genere, formâ, eloquentiâ facilè princeps, *Legem agrariam* tulit, qua Senatui nonnisi certus agri modus concedendus, cetera in plebem dividenda erant. Dividendis igitur agris præfectus à populo Gracchus, cùm etiam diutius sibi prorogari imperium vellet, regiam potestatem meditari visus est, eamque ob causam à Scipione Nasica in Capitolio, quò se receperat, occisus.

2. Cajus Gracchus Tiberii frater *Legem Frumentariam* ediderat, qua plebi ex ærario pendi annona debebat. Id cùm Senatui esset invisum, promisit, eum, qui Gracchi caput attulisset, tanti ponderis aurò donatum iri. Nec mora, servus occisi per tumultum Gracchi caput, infusò etiam locò cerebri plumbò gravius redditum, Senatui exhibet.

3. Livius Drusus Tribunus plebis cùm illas leges agrariam & frumentariam, tum maximè *Legem Civitatis* integram volebat & observandam. Hæc Etruscis, Latinis, Sabinisque Romanæ Civitatis jus concedebat, ita ut & hi possent in Senatum & ad magistratus ceteros legi. Verùm ille rei perficiendæ impar extinctus in foro est, & à Senatu populòque *bellum* in Etruscos &c. susceptum, quod *Sociale* dixere, in omnem latè Italiam serpens.

4. Adde his *Bellum servile*, quod servi sive mancipia facessere Romanis ausi sunt in Sicilia auctore *Eunio* Syro; in Italia *Spartaco* gladiatore.

Sed

Sed utrinque rapti ad supplicium pœnas dederunt temeritatis.

Q. III. *Quid ais de Triumviris, Sylla, Mario, Cinna?*

R. Hi supremi honoris cupidiores quàm par erat, malebant Rempublicam suo, quàm Senatûs populi-que nomine temperare. Sed alter alterum non ferens distractum in suas quisque partes populum civilibus armis colliserunt. 1. Primùm Sylla urbem vi ingressus Capitolium cepit, Marium fugâ sibi consulere coëgit. 2. Per absentiam verò Sullæ Cinna res novas molitus, iussus quidem solum vertere, paulò tamen post rediit, adductò secum ex Africa Mariò. Indignis modis habitata tum Roma, Consulum capita pro rostris in foro suffixa, ipsaque delubra violata sunt. 3. His superveniens redux ex Asia Sulla pejora etiam sibi audendum ratus, Marianis copiis deletis, cædibus grassari in ipsa urbe non erat destiturus, nisi Furfidius monuisset Tyrannum, *vivere aliquos debere, ut essent, quibus imperarent.* Hinc desitum est in compitis; cæptum verò sæviri in Curiam, sed velut per oculum: nam duo millia è flore ipso Senatûs & Equestris ordinis in tabula descripti extremis suppliciis affecti sunt.

4. At Sertorius vir sumus illa ferali descriptus in tabula, non expectato carnifice in Hispaniam se recepit; Hanc armavit in Sullam & Mithridatem etiam classe jovit. Eum in ordinem cogere iussi Duces ipsèque Cn. Pompejus adhuc juvenis difficilem ancipitèmq; Martem diu experti sunt; donec domesticorum insidiis circumventus est Sertorius.

Q. IV. *Quenam fuit illa Catilinæ conjuratio?*

R. Illam hoc loco tantùm nominasse sufficiat. Rei ordinem in Ciceronis vita leges postea §. 6.

Q. V.

Q. V. Quid patrârunt Triumviri Crassus, Pompejus & Cæsar?

1. Carthagine deleta, Scipionibusque defunctis, Asiâ in provinciam redactâ, exulare Româ cæpit armorum usus, Ducum Optimatumque continentia & fides: regnare verò Asiaticæ delitiæ, hincque subnata cupiditas, ambitio, & intestini motus. Hæ causæ sunt pessumdaturæ Rom. Reipublicæ, quæ tum maximè rimas agere cæpit, cum isti Triumviri existerent.

2. Crassus opibus præstabat; Pompejus auctoritate; Cæsar consiliò. Cæsari de comparanda sibi dignitate agendum erat, Crasso de augenda, Pompejo de retinenda. Singulis animus erat rerum summam obtinendi. Tandem verò in hanc sententiam condixere, ut res Romanas æqua lance inter se dividerent.

3. Crasso obtigit Asia, qui amplissimâ non contentus Provinciâ in Parthos movet fœderum sacra jura incassum obtestantes. Superato ergo Euphratè Carras cum exercitu appulsus deletus est à barbaris, ejus etiam abscissæ cervici liquens aurum infudentibus cum dicto: sat tandem voraret auri, cujus tanta semper cupidine flagrasset.

4. Cæsari Gallia cedebatur cum Consulatu, Pompejo Hispania atque Italia. Verùm Crasso extinctò metuens Cæsar ne etiam Asia rediret ad Pompejum, omnia egit apud Senatum, ut Pompejus exercitibus suis dare missionem juberetur, ratus sibi perire quidquid alteri accederet. At Pompejus animadversâ Cæsaris invidiâ, se id facturum negavit, nisi & Cæsar è Gallia Provincia, quam ultra tempus legibus præfinitum jam tenebat, discessum faceret.

5. Verùm Cæsar telis respondere quàm verbis maluit. Traductis enim in Italiam copiis insperato adventu Romam perculit. Nec mora, correptus metu

metu Senatus omnis cum Pompejo desertâ Italiâ Græciam petit. Finis bello datus erat, si Pompejum Brundisii obsessum cepisset Cæsar: sed is Beneficiò noctis lacerâque cymba elapsus est.

6. Hinc Romam properans Julius seipsum Consulem pronunciat, direptoque ærariò Siciliam, Sardiniam & Hispaniam subigit. Tum Pompeii terga premeus Epirum petit. Fama est ipsum, cum classis ex Italia moras neçteret, ad eandem arcessendam levis scaphâ perrexisse solum: cumque remex è portu solvere horreret, media nempe hyeme, nocte insuper concubiâ dixisse: *Quid times? Cæsarem vebis.* Tantam de sua fortuna temeritatem conceperat.

7. Primò præliò superatus à Pompejo in Thessaliam recessit. Collata denique in Pharsalicis Thessaliæ campis signa, & Germanorum sub Cæsare facientium virtute rupti sunt Pompejani equitatus ordines, in quo ille plurimum præsidii posuerat. Cæsar manipulos obequitans his potissimum vocibus suos hortabatur: *Miles faciem feri!* Dein: *Parce civibus.* Pompejus verò castris omnibusque copiis multatus in Ægyptum fugam adornat, intrâque Nili ostium stans in navicula, petensque à rege suscipi, ejusdem regis jussu ferrò Septimii (is à Pompejo ad regem antè defece- rat) cadit, spectantibus uxore & liberis. Truncus Nilo mersus ab Servio Codro Pompeii liberti exceptus humatusque est in arena litoris imposito lapide & Epitaphio: *Heic situs est Magnus Pompejus.* Caput recisum Achilla Pompeii satelles Cæsari cum ejus annulo obtulit: quo conspecto à lacrimis sibi temperare non valens, pretiosis odoribus cremandum curavit.

8. Reliquum erat Cæsari, ut & illis jugum imponeret, qui à Pompeji partibus steterant. Primò Ægyptum: quod dum facit, Alexandriam difficillima obsidio-

obſidione tentat. Fugatus aliquando ab oppidanis in navigium ſe recipere cogitur, illóque ipſo ruinam minitante etiam in ſalo natate. Sunt qui narrent, eum altera manu natáſſe, alterá Librum, quem de ſuis expeditionibus ſcripſerat, ſupra undas ſublaturum ferváſſe. *Secundò* Pharnacen Mithridatis filium aggreſſus in Aſia ſine negotio obrivit, qua de victoria ſcripſit: *Veni, vidi, vici.* *Tertiò* in Africa Scipionem & Jubam regem proſtigavit commiſſó prope *Tbaſſum* prælió. At Cato junior Uticam, Africæ tum caput, præſidió tenebat. Cúmque accepſſet, Cæſarem viciffe, lectó priúſ Platonis libró de immortalitate violentas ſibimet manus intulit. Accurrere medici, quos ille vulnus obligare paſſus eſt: ſed iis ſeſe recipientibus manu diſtrahit faucium pectus, ſparſis etiam per pavementum viſceribus. *Quartò*, in Hiſpania Pompeii filios Cnejum & Sextum prope *Mundam* oppidum ſternit. Nulla fuit tam anceps belli alea. Cæſar ipſe nutantibus ſuis conſciſcere ſibi necem parabat: cúm hoſtiles aliquot cohortes in tranſverſum tendunt præſidio ſuis futuræ: id Cæſar fugam eſſe interpretatus animos ſuis addidit, aciéque potitus eſt.

Q. VI. *Quæ ſunt reliqua Cæſaris fata?*

§. I. Cæſar ingenii acerrimus (Eundém enim ajunt legere, ſcribere, adveniénti nuncio aures accommodare, tribúsque aut quatuor ſcribis dictare literas eodem tempore ac de ſummi momenti negotiis ſolitum fuiſſe) conſilió promptiſſimúſ, dexteritate ſumma, felicitate perpetua prudentiſſimè adminiſtravit Rempublicam. Alia inter cúm animadverteret (ut erat ſcientiarum omnium gnarus) Calendarium à ſolis curſu deſciſcere in eam redegit formam, qua uſque ad Gregorium XIII. PP. uſi ſumus,

2. At cùm honores à Senatu sibi decretos, nihili penderet, tanquam qui suo jure, non Senatùs vellet imperare, & alias impotentius abuteretur potestate, omnium sibi, ac præcipuè nobilium comparavit invidiam. Itaque D. Brutus & C. Cassius in eum conspirârunt cum aliis, ac venientem in curiam ante ipsam Pompeji statuam viginti tribus vulneribus confecerunt. Cæsari pene pectus rampebatur, cùm in paricidarum numero videret Brutum, illum quem maximo semper amore complexus fuerat; aliud tamen effatus non est, quàm ut obvoluto capite diceret: *Et tu fili mi Brute!* In curiam eo die tendenti non nemo porrexerat schedam, qua omnes in eum conjurati descripti erant: Sed urgente horam fato eandem non aspexit. De hoc dicere solebant prudentes, *Illum aut nasci non debuisse, aut non mori.*

§. VI.

Insignes Romanorum Viri.

Prima Classis Fortium.

I. *Marcus Curtius.* Romæ mediò forò rupta tellus dehiscerat, fætidadque spirans mephitim multis exitum afferebat. Consultum ea de re oraculum effatum est; Scrobem clausum iri, si, quod optimum haberent Romani, immisissent. Certatim annulos viri, feminæ mundum muliebrem advehunt. Incaßum. Jámque annum totum tenuerat malum: cùm juvenis animi acerrimus quid sibi ea de re videretur ad Senatum refert: Fortes nempe viros animam esse Reipublicæ, ac tale quidquam ab orco peti. Moxque Caballum phaleris sternit, ipsèque militarem pompam indutus subjectis equo calcaribus in orcum sese præcipitem

pittem vivus agit. Felix si Numinis id jussu, non dæ-
monis fuisset ausus.

2. Publius Cornelius Scipio Africanus major,
is, qui secundum bellum Punicum confecit. Cùm
post cladem Cannensem præcipuæ nobilitatis juven-
tus Italiam desereret, suâ eos tam autoritate quàm elo-
quentiâ retinuit, Juvenis ipse. Tandem omni bello
felicissimè perfunctus, ab ingratis Tribunis plebis
repetundarum accusatus librum rationum spectante
populo scidit: *Hac die, inquit, Carthaginem vici:
Bonum factum: In Capitolium eamus.* Moxque Urbi
terga vertens exul vitam clausit; petiitque moriens
ab uxore, ne ossa sua Romam referrentur.

3. Publ. Scipio Æmilianus Pauli Æmilii Mace-
donici filius à Scipione Africano majore in filii locum
adoptatus, ad delendas urbes natus videbatur. Car-
thaginem solo æquavit, nec antè exuri potuit Numan-
tia, quàm ipse eam oppugnâisset. Ob res gestas non-
nihil attollens supercilium, causamque legis agrariæ
defendendam suscipiens in lectulo suo suffocatus in-
terit.

* *Nec opus est plures in chorum ducere Heroes,
cùm haut spernendus illorum numerus proximis paginis
sit descriptus.*

II. Classis Doctorum.

* *Populus Romanus è Pastoribus, mox latroni-
bus, denique è militibus natus, ac propagatus, nullos vo-
luit civitate donare doctos, antequam cum exteris, ac
Græcis maximè, rem habere caput. Sed tum accidit, ut
cùm Græci in Romanorum leges & arma jurarent, Ro-
mani vicissim Græcorum sententias ac disciplinas utrâque
ulnâ exciperent. Ipsaque, ut ne Cicero quidem dissimu-
lat, Victa Græcia mores suos imposuit victoribus.*

1. *Lucius Livius Andronicus* primus Romæ fabulam seu scenam exhibuit, Populúmque rebus, contra Pœnos prosperè gestis, ovantem recreavit, anno uno ante pacem cum Pœnis junctam, primo bello Punico.

2. Anno pòstnatus est *Rudiis* Calabriae oppidò *Ennius*. *Virgilius Maro* deprehensus lætitare *Ennium*, quidque ageret quæsitus, respondit, *se è luto Ennii aurum legere*. Podagrâ extinctus est, quam sibi nimio vini potu contraxit.

3. *M. Accius* cognomine *Plantus*, gente *Umbæ*, patriâ *Sarsinas*: Poëta Comicus. Interdium molendinis versandis operam dedit, quo haberet, unde viveret; noctu fabulas lucubravit.

4. *Terentius* *Carthaginensis* servus Romæ libertate donatus elegans ac præstans Comœdus. *Athenas* visurus naufragiò interiit.

5. *Pacuvius* *Brundusinus*, *Ennii* ex sorore nepos. Pictor simul & poëta Tragicus, non opti-
tæ notæ.

6. *Accius*, Tragicus, quem dicere solent *Scriptorem ferreum*:

7. *Lucretius* de rerum natura scripsit docto facillique versu. Sese ipse ferrò sustulit, cum philerum, aut venenum ei ab uxore esset propinatum.

8. *Catullus* *Veronensis* tum mordax, tum lascivus poëta.

9. Principem sibi locum postulat *Marcus Tullius*

Lucius Cicero phoenix Oratorum non minus & Philosophorum Latinorum. Equestri genere, quod à regibus quidam deducunt, natus Arpini in Campania, *Marco* patre, matre *Helvia*: fratres habuit *Quintum* & *Lucium* Cicerones: Uxorem *Terentiam*: filium *Marcum* à patris ingenio longè abludentem, potatoremque celebrem: filiam *Tulliam*, Servum deinde liberum *Tironem* summæ eruditionis, patrono suo haut multum inferiorem. *Ciceronis* cognomen adeptus est à majorum suorum quopiam, qui verrucam Ciceris in modum naso eminentem habuisse dicitur. Puer ipse tantum ab ingenii alacritate commendatus est, tantoque in pretio habitus, ut illum à schola redeuntem receptum in medium coram contemporaneorum domum honoris causâ deduxerit. Juvenis Marti nomen dedit. Mox turbas exosus Philosophiæ, Juri, eloquentiæ animum advertit. Roscium a patronis omnibus metu Syllæ (is enim venditis sub hasta ejus bonis, reum etiam agebat parricidii) destitutum, uberrimè defendit, applaudente foro populi. Tum Athenas discessit, quâ studiorum causâ, quâ metu Syllæ. Quo sublato etiam Asiam petiit discendi ergo. Romam redux Siciliam Quæstor rexit. Dein rogatu Sicularum Verrem ejus insulæ prædonem potius quam prætorem accusavit. Id temporis erat in urbe *Catilina* quidam, summo quidem Genere sed perditæ vitæ Senator. Is, cum in decernendis honoribus nulla ejus ratio haberetur à populo, sed *Ciceronis*, nova in Rempublicam cœpit moliri. Etenim adjuncta sibi nobilium, paris cum ipso improbitatis, Civium manu in Urbis exitium conspiravit. Impium fœdus impio ritu consecratum est: mactatum nempe hominem convivio intulerunt devorandum, cruoremque circumlatis pateris libarunt. Detectæ sunt insidiæ *Ciceronis* solertiâ: *Catilina* civitatem

vitarem purgare iussus. Lentulus Sura prætor urbis, Cethegus, Sulla, ceterique, qui dispositis viris, facibus, armisque jamjam incendia urbi parabant, comprehensi, ac Consulibus jussu in carcere necati sunt, cum Catilinam alter Consul C. Antonius cum copiis interfecisset. Reorum damnationi obstitit I. Cæsar & ipse conjurationis, sed clam, reus. Is deinde Cæsar Præturam adeptus ope tribunorum plebis interdixit Ciceroni consuli, ne populum pro concione alloqueretur, nisi tantum ad renunciandum Consulatum. Accepta conditione rostra conscendit Cicero, renunciat, more recepto iusjurandum profert, sed longè diversum à consueto: juravit nempe, *se conservasse Urbem, & Romano imperio à ruina cavisse*. Mirum in quantos clamores solutus populus conceptis verbis id ipsum juraverit, dum interim Cæsar cum suis invidia rumperentur. Quin jubente populo, censente Senatu, honores Tullio decreti sunt, aliosque inter, ut *Pater Patriæ* diceretur, quod nemo ante ipsum. Sed cum ille immoderatiùs sese ipsum laudare non cessaret, multorum invidiam auxit. Cui flammæ oleum affudit Clodii simultas. Is intemperantis libidinis juvenis Pompejæ (Uxor erat Cæsaris tum Consul) pudicitia insidiabatur, veste muliebri ingressus domum eo die, quo Matronæ civitatis Bonæ fortunæ Sacra in domo celebrabant Consulibus, qua domo per illum diem interdictum erat viris. Deprehensus Clodius in jus vocatur: negat se eo die Romæ fuisse: testes, & inter hos Cicero, jurant, fuisse: Absolvitur tamen Clodius, & Tribunitia etiam dignitate augetur. Illius odia declinaturus Cicero cum Cæsare legati nomine in Galliam ire parat: Clodius ne id fieret, ad speciem cum Tullio in gratiam redit, eumque retinet. Inde Cæsar offensus Clodium, Pompejùmque ipsum in Ciceronem excitat. Accusatur Cicero, quòd Lentulum & reliquos Catili-

tilinæ conjuratos interfecisset indiſtâ cauſâ : Cæſar ipſe teſtem agit. Cicero pullo habitu, promiſſâ barbâ & capillis, vicos obeundo populo ſupplicat, comitantibus eum viginti nobilium millibus eodem habitu. Quo tempore Senatus decreverat, idem ut totus populus faceret, imperare, niſi Conſules inhibuiſſent. Ipſo judicii die Pompejus urbe excedit, nec Ciceronem ſe inſequentem colloquiò dignatur; Itaque damnatur Cicero, qui monitus ab amicis ſervire tempori adulta nocte urbem relinquit. Clodius propoſita lege aquâ illi & igni interdicit, in domûs everſæ locum templum Libertati condit : bona ſub hafta venum exponit, nullus tamen inventus eſt emtor; reverentiâ Ciceronis. Illo interim Theſſaloniçæ in Macedonia exulante pœnituit Pompejum negatæ operæ. Senatus decernit, nullius rei antè habendam eſſe curam, niſi populus Ciceronem revocâſſet. Impediturus id Clodius Tribunus ab altero Tribuno Annio Milone è foro ejicitur. Rediens menſe decimo ſexto exilii Cicero *pro domo ſua* orationem habet; tum *Milonem*, qui Clodium occideat, defendit. Is tamen, quòd inſolentiùs ageret, Maſſiliæ exulare eſt juſſus. Ciliciam provinciam rexit. Civili bello Pompeij ſecutus partes, à Cæſare tamen victore receptus in gratiam *Ligarium*, qui arma in Cæſarem tuſiſſe accuſabatur, defendit eo ſucceſſu, ut licèt Cæſar antè illuſiſſet Ciceroſi, necémque Ligarii ratam fixamque habuiſſet, ipſa tamen ſub oratione ſæpe colorem mutârît, omnes affectus indutus; donec ad extremum exſiliens reum abſolverit. Conjuratiõnis in Cæſarem poſtea occiſum Cicero conſcius non fuit, cæſum tamen libenter vidit. Ea-propter in M. Antonium Conſulem *Philippicas* Orationes ſummò ſtudiò conſcripſit, etn non

peroraverit, Apud Senatum & populum effecit, ut Octavio Cæsari Julii Cæsaris heredi, ac Antonii inimico Consulatus daretur. Verùm inter Antonium, Octavium ac Lepidum Triumviratu constitutò Antonius Octavio amicitiam negavit, nisi interfecto Cicero. Cicero diu fluctuans in villam suam Formianam divertit, corvorum grege domum occupante, quorum unus, cum ad quietem se composuisset Cicero, etiam velum capitis eidem detraxit. Accepere id omen servi, Dominumque etiam nolentem lecticâ exportârunt ad litus. Mox supervenientibus cum militum manu Centurionibus Herrennio, & Popilio Lenæ (eum Cicero à parricidii pœna defenderat) Philologus puer libertus prodidit. Cicero visis suis per viam latronibus stare jubet servos, cervicemque extra lecticam porrectam præbuit ferro Herennii; cum esset natus annos 63. Caput cum manibus recisum Antonius pro rostris exponi iussit. Philologum proditorum nacta Pomponia uxor Quincti Ciceronis fratris, tormentis subiecta, ac demum adegit, sibi ipsi per partes rescindere carnem, eamque assam vorare. Augustus verò seu Octavius Cæsar, Antonio Actiacâ pugná superatò, sanxit, ne quis ex Antoniorum familia prænomen *Marcus* gereret; quòd id Ciceronis fuisset.

10. *Virgilius*, seu *Vergilius*, *Maro* à patre dictus, natus propè Mantuam Idibus Octobris, primo consulatu Pompeii & Crassi. Poëtis latinis omnibus palmam præripuit. Sed unâ summæ in scribendo fuit diligentia. Nam *Bucolica* triennio absolvit, *Georgica* septennio, *Aeneida* annis undecim, totidem impensurus ejusdem correctioni, nisi fata eum prævenissent. Itaque inemendatam relin-

relinquere coactus testamentò jussit eam cremari. Dubitatum est diu, sitne pulcherrimo operi præhabenda testamenti religio? sed Augustus Cæsar vetuit illud igni committi, Varoque & Tuccæ ejus corrigendi negotium fecit.

11. Quintus *Horratius Flaccus* Venusiæ in Apulia natus Poëta Lyricus, venustus ac lepidus.

12. Publ. *Ovidius Naso* equestri genere natus Sullone anno postquam Cæsar est interfectus. Nullis verberibus potuit à parente adigi, ut poësi nuncium mitteret, sed ei etiam non cogitanti in metrum soluta est lingua. Unde Elegorum facillimus scriptor ac Princeps extitit. Cùmque impura scripisset, eaque ad ipsam Augusti filiam, Juliam nomine, misisset, ab illo solum vertere jussus ad Getarum oppidum Tomos prope pontum Euxinum & Istri ostia delatus est.

13. C. *Crispus Sallustius*. Ciceroni infestus Catiinæ conjurationem, cujus & ipse conscius creditus est, descripsit contra Senatum. Primus Romanarum rerum historiam edidit, temporum tamen injuriâ nunc perditam.

14. Eodem verò tempore *Cornelius* nepos vixit, cui heroum vitæ eleganti stylo descriptæ tribuuntur, quas alii malunt *Victorem*, alii *Probum* edidisse.

15. *Titus Livius Patavinus* Romanorum Historicorum summus. Ad eum visendum ex ultimis Galliæ Hispaniæque finibus plurimi Romam profecti sunt.

16. *Mecenas* Eques Romanus, qui genus ad Etrurix reges referebat. Augusto Imp. summo in amore habitus: doctos omnes summo ipse amore complexus est, summisque beneficiis auxit. Hinc omnes, qui pari favore literas ac literatos prosequuntur, *Mecenates* dicere mos hodie dum fert.

* Hæc, quæ à Cicerone ad nascentis usque Christi ætatem ferebat temporis periodus,

Aurea Scriptorum Romanorum ætas
appellari ab eruditis me-
retur.

